2. 6. 547.

2 R. 6

XL
AYROLI
[illegible]
1714

Digitized by Google

Digitized by Google



Sebastianus Conca Inv. et delin. *Arnoldus Van Westerhout Sculp.*

L I B E R
LXX. HEBDOMADUM
R E S I G N A T U S,
S E U
D A N.I E L I S
VATICINIUM CELEBERRIMUM

Ex Vulgata Editione & Hebraico Textu

ENODATUM ET ILLUSTRATUM

Auctore Jacobo Maria Ayrolo Soc. JESU.

SUB AUSPICIIS SS. D. N.
CLEMENTIS XI.
PONT. OPT. MAX.

A Joanne Franciſco Paſſono Novarienſis Diœceſis
In Collegio Romano Propugnatum.

R O M Æ MDCCXIV.
Typis Georgii Plachi apud S.MARCUM.

Superiorum Facultate.

Digitized by Google

Digitized by Google

DEIPARÆ VIRGINI.

CUM noſtri generis per Protoplaſten perditi reparationem Divina Oracula, vel ab ipſis Mundi incunabulis, per Te

Digitized by Google

(a) *Ipſa conteret caput tuum. Gen. 3. 15.*

afferendam promiſiſſent (a) Virgo Beatissima; *Septuaginta Danielis Hebdomadas, quibus reparationis hujus definita ſunt tempora, ad Te jure quodam præcipuo pertinere nemo non videt: Præſertim cum Hebdomades eædem Te deprecante abbreviatæ, Te fuerint annuente completæ. Et ſanè Meſſiam venturum, atque adeo beatiſſimam illam temporũ plenitudinem, quam Apoſtolus* (b) *memorat, hoc Vaticinio promitti ita eſt manifeſtum, ut nemo, niſi ſacrarum Literarum omnino rudis, vel ſingulari audacia, ac perfidia*

(b) *Galat. 4. 4.*

prædi-

præditus id inficietur. *Quis enim* (c) Prævaricationem conſummare, delere iniquitatem, finem peccato imponere, *niſi Meſſias poterat? Quis niſi Meſſias* Juſtitiam adducere ſempiternam, Viſionem & Prophetiam implere, & ungi in Sanctum Sanctorum? *Has verò Hebdomadas fuiſſe, Te deprecante, abbreviatas, hoc eſt, precibus Tuis ex tota æternitate præviſis Deum decreviſſe, ne humani generis reparatio ultra Hebdomadas* 70. *ab Exitu ſermonis de inſtauratione Jeruſalem computandas retardaretur, meritò aſſerimus.*

(d) *Dan.* 9.

Si enim

Si enim veteres Patres, atque Prophetæ, Dei famuli, votis ſuis atque ſuſpirijs ut reparationis maturarentur Tempora meruerunt (d) *quanto magis Patrum, ac Prophetarum Domina, & Dei Mater idipſum meruiße credẽda eſt. Eaſdem denique fuiſſe, Te annuente, completas Catholica ipſa Veritas nobis confirmat. Nam quid aliud agebat Gabriel ille, cœleſtes inter proceres nobiliſſimus, cum Divinâ ad Te legatione fungeretur; niſi ut Hebdomades in Meſſiæ adventum per Te abbreviatæ, per Te quoque electam antè ſecula Dei Genitri-*

(d) Suarez in 3. part. tom. 1. diſp. 10. ſect. 6.

nitricem, finem accipérent? Et ſanè ſingulari, ac certo quodam Dei conſilio accidiſſe ſtatuendum eſt, ut idem ille, qui Hebdomadum myſteria Danieli aperuerat, ad Te de iiſdem implendis Archangelus legaretur. Cui ſtatim atque per eam vocem (e) Fiat mihi ſecundum Verbum Tuum, *calamitatem miſerata mortalium, annuiſti, Tuoque in utero* (f) Verbum caro factum eſt; *illico conſummari prævaricatio, & finem accipere peccatum, & deleri iniquitas cæpit: tunc enim* (g) Poſuit Dominus in eo iniqui-

tatem

(e) *Luc.* 1.

(f) *Joan.* 1.

(h) *Iſai.* 53.

tatem omnium noſtrum. *Illico Juſtitia de cælo affuit ſempiterna: tunc enim Unigenitus Dei Filius, qui Tuo eſſe cæpit in utero filius hominis*(b) Factus eſt nobis ſapientia a Deo, & Juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. *Illico impleta eſt Viſio, & Prophetia.: tunc enim* Juſtus *ille mortali in carne ſpectabilis apparuit, de cujus* adventu *Prophetæ omnes tot ante ſecula* (i) prænuntiaverant. *Illico denique unctus eſt Sanctus Sanctorum: tunc enim Chriſtus Dominus in Regem, Pontificem, ac Reparatorem nobis eſt unctus,*

(b) 1. *Corinth.* 1.10.

(i) *Act.* 7.52.

& conſe-

& conſecratus: Unctus *eſt autem* (k) Oleo lætitiæ, *ideſt*, (l) *gratia hypoſtaticæ Unionis, & chariſmatum omnium, atque donorum inde manantium plenitudine*.

Cum ergo tantis ego Te myſterijs plenam, & magnorum Arcanorum conſciam cogitarẽ, MATER ADMIRABILIS, (m) Adij Te, & deprecatus ſum ex totis præcordijs meis, *ut mihi* (n) Sedium *ſupernarum* aſſiſtricem Sapientiam *ad grande hoc Vaticinium explicandũ infunderes. Explicui ut potui. Quod ergo, Te mihi præeunte, & lucẽ ac vires præbente, opus exegi, Tibi*, PROPHETARUM REGINA,

(k) Pſal. 44.

(l) S. Greg. lib. 9. Epiſt. 61. De Spiritu Sancto ex carne Virginis concipi a Sancto Spiritu ungi fuit.

(m) Sap. 8. 21.

(n) Sap. 9. 4.

b *pronus*

pronus in faciem, & Maje-ſtatis Tuæ pedibus provolutus conſecro, & voveo. Tu enim verò quid ſpectet opus hoc noſti. Id unum nimirum ſpectat, ut prima Veritas, Unigenitus ſcilicet Dei Filius,

(o) *Act.* 10. 43. *idemque Tuus, cui cum* (o) Prophetæ omnes, *tum Daniel in primis* Teſtimonium perhibet *præclariſſimum, & cognoſcatur vividius, & diligatur ardentius. Tu interim*

(p) *Eccleſiaſt.* 24. 24. (p) MATER pulchræ dilectionis, & agnitionis *id perfice, ut Veritatem eamdem ipſe quoque magis magiſq; in dies & cognoſcam, & diligam, & cui labor hebdomadæ fuerunt, ſit præmium Æternitas.*

Digitized by Google



ex numismate B. Hamerani *Arnoldus Van Westerhout fecit*

P*Rophetia omnis*, Beatissime Pater, *priuſquam habeat effectum*, ut ait Irenæus, *hominibus Ænigma eſt, atque ambiguitas: cum autem venerit tempus ejus, & quod eſt prophe-*

tatum evenerit, tunc liquidam, & certam habet expoſitionem (a) At ea, qua de loquimur, Prophetia diverſo jure cenſetur: licet enim tempus ejus jamdudum advenerit, & quod per eam divinando Daniel prædixit, mille & ſeptingentis ferè ab hinc annis moriendo Chriſtus impleverit, atque adeo Propheticum Oraculum, ſi rei ſubſtantiam ſpectemus, exitu comprobatum fuiſſe compertum ſit; tamen ſi cætera, quæ Oraculum ipſum circumſtant intueamur, non liquidam illud atque certam, ſed implexam maximè, & involutam, atque Ænigmati ſimilem habere expoſitionem deprehenditur. Unde non immeritò Pererius (b) *Quemadmodum apud antiquos*, inquit, *quo aliquid eſſe obſcuriſſimum ſignificaretur, tamquam proverbij loco dicebatur, eſſe id obſcurius numero Platonico; ita nunc, & ſanè veriùs, dici poſſet obſcurius id eſſe Septuaginta Hebdomadibus Danielis.*

Hanc

(a) *Irenæus lib.4.adverſus hæreſes cap.43.*
(b) *Præfat. libri 11. in Dan.*

Hanc ergo Prophetiam diu multumque verſando , & Propheticas voces ad Hebraicum exemplar expendendo , quid aſſecutus ſim , Beatissime Pater , meum non eſt judicare. Tamen ſi quid ſum aſſecutus, Tibi enim verò id totum deberi perſpicuum eſt , qui Auctorem Te mihi , atque Ducem , ut ex inextricabili hoc Labyrintho evaderem, exhibuiſti . Cum enim plures jam annos Hebraicas in Collegio Romano literas doceam , & per (c) *Mare hoc* ſacræ eruditionis *magnum, & ſpatioſum manibus* navem impellam ; annis totidem ſcilicet propitium fauſtumque Sanctitatis Tuæ ſidus experior . Nec aliàs ſanè Lingua Sancta majora ſibi viſa eſt incrementa ſpondere,quàm ex quo tantus Princeps tanto illam ſtudio protegit , tanta humanitate complectitur . Ut meritò proinde quadrare in Te videatur Propheticum illud (d)

(c) *Pſal.* 103. 25.

(d) *Sophon.* 3. 9.

אהפך

Digitized by Google

אהפך אל עמים שפה ברורה, *Reddam populis labium electum*, Hebraicum idioma nimirum, ut Expoſitores, (e) & Rabbini (f) interpretantur. Quis enim non credat de Te id fuiſſe prædictum, quod in Te videmus impletum? Sanè nihil hoc in genere vel typis vulgatum ab Academia noſtra, vel in literaria paleſtra publicè exhibitum eſt, cui non arriſeris, & Patrocinium Auguſtum clementiſſimè commodaveris. Quid quod & Tuam mihi mentem dignatus fueris aperire ſemel, atque iterum dicens, nihil a me Tibi fieri poſſe jucundius, quàm ſi ſcholaſticis id genus Exercitationibus adoleſcentium ingenia excolerem, atque animos excitarem. Quis ad voces hujuſmodi ſtudio pulcherrimi operis non inardeſceret? Quod autem verbo ſignificaveras, facto cumulatiſſimè repræſentaſti. Cum enim Scriptiones Hebraicas Auditorum meorum,

(e) *Galat. de Arcan. lib. 12. cap. 3. Cornelius a Lapide, & Chriſtoph a Caſtro in Sophoniam.*

(f) *David Kimchi in Sophon. Abē Ezra apud eumdem.*

atque

atque Auditores ipſos, ſub finem anni ſuperioris, ad pedes Tuæ Sanctitatis ſtatuiſſem, quis exequi verbis poſſit; quanta clementia nos omnes, & ſingulos, Principis Majeſtatem temperans vultu Parentis, exceperis? Atque inter ſummorum turbam negotiorum, ſeptimo calendas Octobris * (pridie nimirum ejus diei, quo Purpurati Principes ſunt renuntiati) Te totum nobis alloquio humaniſſimo, nec exiguo ſanè tempore commodaveris. Literarum cauſam videlicet negotia inter maxima computabas. Et cum beneficium Ipſe vel maximum faceres; quaſi non faceres, ſed acciperes, ſic Te ipſum nobis, tantâ ſummi Principis indulgentiâ attonitis exhibebas. Eum cujus vices geris, vel hac in re polcherrimè referens: dona enim, & beneficia conferre, eaque laudi, ac merito accipientibus vertere Divinum eſt.

* *Anno* 1712.

Itaque

Itaque pretioſa Numiſmata, quæ Tuam ex altera parte effigiem, ex altera verò Heroas quatuor præferrent Sanctorum nuper faſtis adſcriptos, & illis pollicitus es, & mihi deinde accerſito, manu Tua, manu, inquam, illa qua Tibi datas divinitus Cælorum Claves geris, ijſdem tribuenda numeraſti; & Principis donum conferens manu Principis duplicaſti. Nos porro, ne tanti memoria beneficij ulla unquam oblivione deleretur, Numiſmatis ſingulis, & ſupramemoratum, ut vides, Sophoniæ Dictum, & Auditorum ſingula circumdedimus nomina. Deinde, convocata Eruditorum virorum concione, in Aula maxima Collegij Romani, pro tanto beneficio publicè gratias ut ageremus, hanc ipſam, quæ *Septuaginta Hebdomadum librum* Hebraici textus ope *reſignat*, diſſertationem exhibuimus, ſperantes fore, ut ea

Tibi

Tibi gratiarum actio accideret jucundior, quæ Hebraicam eruditionem redoleret. Si ergo אל מקום (g) שהנחלים הלכים שם הם שבים *Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur*, ad Sanctitatem Tuam, cujus (h) *Scientia, ſicut aquæ maris operientes*, huic Opuſculo fluendi cauſa, atque initium extitit; Opuſculum ipſum quale quale eſt, tamquam rivulus, reverti debuit. Pro debito interim Tibi exoluto, BEATISSIME PATER, fructum nec ſanè modicum me ſpero conſecuturum. Illius enim Interpretationis, quam Tantus Auctor probaverit, videri jure poterit non hallucinatus Inventor.

(g) *Eccleſiaſt.* 1. 7.

(h) *Iſaiæ* 11. 9.

SANCTITATIS TUÆ PEDIBUS.

Humillimè provolutus
Jacobus Maria Ayrolus Soc. Jeſu.

c *IMPRI-*

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sac. Palat. Apoſtol.

N. Caracciolus Archiepiſc. Cap. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Reverendiſs. P. Fr. Gregorius Selleri Sac. Pal. Apoſtol. Magiſter Ordinis Prædicatorum.

MI-

Digitized by Google

MICHAEL ANGELUS
TAMBURINUS

Præpoſitus Generalis Societatis
JESU.

CUM Librum, cui titulus: *Liber Septuaginta Hebdomadum Reſignatus*, a P. Jacobo Maria Ayroli, Societatis noſtræ Sacerdote, conſcriptum aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint; facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi ijs, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratia has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 14. Auguſti 1713.

Michael Angelus Tamburinus.

Digitized by Google

Approbatio

Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi

CAROLI MAJELLI

Bibliothecæ Vaticanæ Præfecti.

QUantopere interſit ad apertam, ac dilucidam Sacrarum Literarum, antiqui præſertim Fœderis, explanationem, ad ipſos Hebraicos Fontes accedere, luculenter oſtendit accuratiſſimum Opuſculum P. Jacobi Mariæ Ayroli S.J. in quo Scriptor diligentiſſimus celeberrimum illud, idemque multis ad chronologicam rationem difficultatibus diſtrictum LXX. Hebdomadum Oraculum in ſuas temporum ſedes digerit, explicatque. Librum itaque nec Religioni, nec pietati ulla in re adverſantem, immo utriuſque incremento utilem, & opportunum, quem demandante Reverendiſſimo P.F. Gregorio Selleri S. P. A. Magiſtro perlegi, publica luce dignum cenſeo. Romæ VII. Nonas Septembris MDCCXIII.

Carolus Majellus.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM
PRÆFATIO.

HAnc de ſeptuaginta Danielis Hebdomadis impeditiſſimam Quæſtionem ut agitandam mihi proponerem, Candide Lector, ſuaſit amor Hebraici idiomatis, cui tradendo à Moderatoribus meis, multis ab hinc annis, ſum deſtinatus. Facturus enim operæ pretium mihi videbar, ſi locum aliquem Sacri Codicis inſignem ex Hebraica radice, quantum in me erat, dilucidando, & *Verſionem ab Eccleſia approbatam*, juxta datam mihi provinciam (*a*) *defenderem*, & Linguæ hujus utilitatem commendarem: eoſque refellerem; qui illam, vel nihil, vel parum admodum prodeſſe arbitrantur, ex quo Sacra Biblia, olim latinè reddita, tot deinde doctiſſimorum Interpretum fuerunt commentarijs illuſtrata. Sunt enim ſanè non pauci, qui ita ſentiunt, & quod perperam ſentiunt deteriùs effutiunt. Hujuſmodi hominibus nimirum

(a) *Ex regula 2. Profeſſoris Linguæ Hebr.*

Digitized by Google

mirum videtur fieri non poſſe, ut, vel aliquid ſcitu dignum reperiatur, quod neſciant, vel aliquid neſciant ipſi, quod fuerit ſcitu dignum. Nec advertunt, ſe, dum ita ſentiunt, & dicunt; Summorum Pontificum, & Conciliorum Generalium conſtitutionibus (*b*) quibus Linguarum ſtudium, Hebraicæ præſertim, in Catholicis Academijs præcipitur, contradicere.

(b) Clement V. in Concil. Viennenſ. de Magiſtris Cap. Inter ſollicitudines, Paulus V. Apoſtolicę ſervitutis onere.

Opus itaque parabam quadripartitum, cujus prima pars Prophetiam de 70. Hebdomadis; altera eorum qui Hebdomadas à Chriſto diſtrahunt, Rabbinorum in primis, confutationem; tertia Quæſtionem de anno Dominicæ Paſſionis, circa quam Hebdomades finem accipiunt; quarta deniq; Chronicum, atque annos expanſos, triplici huic operi neceſſarios, complectebatur. Hæc dum agerem, atque opus urgerem, fors tulit, ut hoc in genere aliquid, per occaſionem, quam infra ſubijciam, proferre oporteret. Protuli itaque primæ partis Epitomen; diſſertationem videlicet, in qua meam de 70. Hebdomadis ſententiam aperio. Hanc ergo diſſertationem, quaſi Prodromum operis ſubſecuturi, placuit typis vulgare, ut opus ipſum perficerem, ſiquidem Prodromus probaretur; ſin minus, imperfectum relinquerem.

Occa-

Occaſio autem hac de re differendi ſe nobis obtulit tali ratione. Cum enim exercitium aliquod ſcholaſticum, Auditoribus noſtris proponendum, annò ſuperiori meditaremur, moneretque nos Damaſus apud Hieronymum (*c*) *Lectionem ſine Stylo ſomnum puta*, viſum eſt opportunum illos ad ſcribendum convertere. Scribendi materiam elegimus Libros veteris Teſtamenti, quos ex Canonico Scriptore Hebraicè non habemus, Hebraicè transferendos. Nam & Lingua Sancta ſacram ſibi materiam, jure ſuo, videbatur expoſcere, nec decebat prophanis illam argumentis temerare: & Hebraicæ phraſis, ac ſtyli opportunitas idem ſuadebat. Cum enim Libri hujuſmodi ab Hebræis Scriptoribus elucubrati, Hebraicam, ut plurimum, phraſim redoleant; phraſis ejuſdem inquirendæ, atque adeo ſcribendi difficultas tyronibus minuebatur. (*c*) *Epiſt.* 125.

Libri porro ſelecti fuere, *Tobias*, *Judith*, *Sapientia*, *Eccleſiaſticus*, *Baruch*, & *Libri gemini Machabæorum*. His adjecta eſt *Epiſtola Jeremiæ*, quæ cum libro *Baruch* conjuncta reperitur. Adjecti ſunt etiam *Eſther*, & *Daniel*, quorum capita nonnulla in Hebraicis Biblijs deſiderantur. Denique ut numerus duodecimus impleretur (quandoquidem duodecim, præ cæteris, ſeſe

ſeſe ad ſcribendum contulerant) & ſinguli ſingulos verterent Libros, nec alter in meſſem alterius falcem mittere videretur; ex novo Teſtamento utraque *Apoſtoli ad Timotheum Epiſtola* delecta eſt. Atque horum omnium Librorum prima Capita, labore, ac tempore ſanè non modico, Hebraicè translata ſunt.

Cum ergo Rudimentum hoc qualecumque Hebraicæ literaturæ, ad fovendam addiſcentium alacritatem, publicare opportunum videretur, Academiam de more inſtituimus, & Hebraicas Scriptiones, folio grandiori exaratas, frequenti Eruditorum Virorum concioni ſpectandas propoſuimus. Tum Scriptiones eaſdem, unum in volumen redactas ante pedes Sanctiſſimi Pontificis, feliciter regnantis (ſciebamus enim, quàm gratæ illi oblationes hujuſmodi acciderent) una cum Authoribus ipſis ſtatuimus, quorum nomina, & libros a ſingulis translatos ſequens Tabella exhibebit.

Nomina

Nomina Auditorum Linguæ Sanctæ, qui a SS. D. N. CLEMENTE XI. *Numiſmate ſunt donati.*

Alexander Paterſon Coll. Scot. Alum. S. Theol. Aud. ad Timoth. 2.

Antonius Tolli Rom. Sac. Theol. Aud. ad Timoth. 1.

Dominicus Macci Verulanus Sacerdos S. Theol. Doct. Epiſtola Jerem.

Franciſcus David Rom. Sem. Rom. Alum. S. Theol. Aud. Tobiæ.

Franciſcus Montelatici Florent. S. Theol. Aud. Secundi Machabæorum.

Ferdinandus de Roſſi Florent. ex Marchionibus Latignani Sem. Rom. Con. S. Theol. Aud. Baruch.

Joannes Baptiſta Teſta Hortanus Sacerdos S. Theol. Aud. Danielis.

Joannes Pica Aſcul. Diœc. S. Theol. Aud. Judith.

Octavius Turchi de Apyro in Piceno J. V. D. Primi Machab.

Patritius Bower Coll. Scot. Alum. S. Theol. Aud. Eſther.

Thomas Vslenghi Rom. S. Theol. Aud. Eccleſiaſtici.

Vincentius ab Aqua Auximas Coll. Ghisl. Alum. S. Theol. Aud. Sapientiæ.

Quomodo autem nos exceperit Sanctiſſimus Pontifex, & quo munere Academicos cumulaverit, ex Epiſtola huic Operi præfixa, quæ eſt ipſi inſcripta, deprehendes. Nos ergo, pro tanto beneficio, Principi Clementiſſimo publicè gratias ut ageremus; hanc ipſam de Septuaginta Hebdomadis Diſſertationem, in Corona Sapientium Virorum, e ſuggeſtu pronunciavimus: eamque, tamquam non ſui jam, ſed publici Juris factam, eo etiam nomine, typis mandamus.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
CAPITUM.

CAP. I. *Quæſtionis dignitas, atque difficultas proponitur, & textus Propheticus in medium affertur.* pag. 1.
CAP. II. *Duplex de Hebdomadum Septuaginta Initio ſententia probabilior ad examen vocatur.* 7.
CAP. III. *Difficultas contra annum Artaxerxis vigeſimum, ejuſque duplex ſolutio.* 8.
CAP. IV. *Prima ſolutio deſumpta ex annis lunaribus improbatur.* 11.
CAP. V. *Duplicem Artaxerxis Longimani epocham, unde altera ſumitur propoſitæ difficultatis ſolutio, firmam non eſſe.* 14.
CAP. VI. *Duplex Artaxerxis epocha ex Pererio, & Daniele Huetio iterum improbatur.* 24.
CAP. VII. *Etiam admiſſa duplici Artaxerxis epocha, annum ipſius vigeſimum non a prima, ſed a ſecunda eſſe computandum.* 28.

CAP. VIII. *Objecta contra argumentum ſuperiori capite allatum refelluntur.* 31.
CAP. IX. *Hebdomadas ſeptuaginta ab anno 7. Artaxerxis derivandas eſſe oſtenditur ex Chronologia.* 34.
CAP. X. *Reædificatio civitatis non modò domorum ac mœnium, verùm etiam civium ac legum reſtitutionem continet.* 39.
CAP. XI. *Ex notione verbi Deſtruo eadem veritas confirmatur.* 41.
CAP. XII. *Ex contextu capitis 9. Danielis idem evincitur.* 42.
CAP. XIII. *Idem infertur ex circumſtantia temporis, quo Angelus Danielem alloquitur.* 46.
CAP. XIV. *Reædificatione civitatis, illis verbis expreſſa,* Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem, *non modò domorum ac mœnium, ſed etiam civium, ac legum reſtitutionem contineri, adhuc clariùs colligitur ex textu Hebraico.* 48.
CAP. XV. *Tria circa rem Judaicam Perſarum regum decreta ex ſacris Literis referuntur.* 52.
CAP. XVI. *Quartum non rectè a quibuſdam Decretum induci.* 55.
CAP. XVII. *Non modò nullum decretum, ſed nec facultatem de Jeroſolyma ædificanda ab Ar-*

Digitized by Google

ab Artaxerxe anno 20. exiſſe oſtenditur. 57.
CAP. XVIII. *Neque ad Cyri, neque ad Darij decretum initium Hebdomadum referri poſſe.* 60.
CAP. XIX. *Idem de Decreto commentitio anni vigeſimi eſſe dicendum.* 62.
CAP. XX. *Quæ & quanta decreto ſuo contulerit Judæis beneficia Artaxerxes, expenditur.* 64.
CAP. XXI. *Decreto Artaxerxis facultatem ædificandæ Jeruſalem contineri.* 70.
CAP. XXII. *Stante decreto Artaxerxis domos etiam, & mœnia Jeroſolymæ ædificare ex Jure multiplici Judæis licuiſſe, & primo ex Jure Naturæ, & Jure Gentium.* 71.
CAP. XXIII. *Oſtenditur idem Judæis licuiſſe ex Jure Civili.* 73.
CAP. XXIV. *Idem licuiſſe ex Iure Divino.* 75.
CAP. XXV. *Stante decreto Artaxerxis Jeruſalem ædificare non permiſſum modò Judæis jure Divino fuiſſe, verum etiam præceptum.* 76.
CAP. XXVI. *Facultatem ædificandi in decreto Artaxerxis non fuiſse exprimendam.* 78.
CAP. XXVII. *Iterum ex modò dictis infertur*
Exitum

Digitized by Google

Exitum ſermonis ad annum 7. unicè referendum. 81.
CAP. XXVIII. *Ab anno Artaxerxis 7. Hebdomadas eſse inchoandas.* 83.
CAP. XXIX. *Hebraicam rempublicam, atque adeo Jeruſalem per Eſdram fuiſse reſtitutam.* 85.
CAP. XXX. *Hactenus dictis non obſtare diſtantiam 13. annorum, quæ inter Exitum ſermonis, & ædificium anni 20. intercedit.* 95.
CAP. XXXI. *Ex Hebraico textu totus verſus 25. capitis 9. dilucidatur.* 97.
CAP. XXXII. *Allata expoſitio confirmatur Syriaci, Arabici, Septuaginta, aliorumque Interpretum teſtimonio.* 104.
CAP. XXXIII. *Confirmatur noſtra ſententia ex anno Sabbathico.* 107.
CAP. XXXIV. *Confirmatur ſimiliter ex anno Jubilæo, ſive Quinquageſimo.* 116.
CAP. XXXV. *De Sectione Hebdomadum in Septem, Sexaginta duas, & Unam.* 122.
CAP. XXXVI. *Affertur ratio primæ Sectionis.* 126.
CAP. XXXVII. *Exponuntur ea Verba:* Uſq; ad Chriſtum Ducem, *& ex iis ratio redditur alterius ſectionis, ideſt,* Hebdomades 62. 129.
CAP. XXXVIII. *Ratio redditur ſectionis tertiæ,*

tiæ, ideſt, Hebdomada una. 133.
CAP. XXXIX. *Quàm nullo fundamento Auctores nonnulli 7. & 62. hebdomadas ſeparent, atque ad res diverſas detorqueant.* 135.
CAP. XXXX. *Ex prædicta hebdomadum diviſione annus Dominicæ Paſſionis, ex anno autem Paſſionis Initium Hebdomadum confirmatur.* 139.
CAP. XXXXI. *Exponuntur ea verba :* Et poſt Hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus. 141.
CAP. XXXXII. *Exponitur Hebdomada Ultima, & Septuageſima.* 146.
CAP. XXXXXIII. *Exponuntur ea Verba :* Et in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium. 151.
XXXXIV. *Epilogus.* 159.

LIBER

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBER

LXX. HEBDOMADUM RESIGNATUS,

Seu in Cap. IX.

DANIELIS

DISSERTATIO.

CAPUT PRIMUM

Quæſtionis dignitas, atque difficultas proponitur, & textus Propheticus in medium affertur.

DE Septuaginta DANIELIS Hebdomadis diſceptare incipientibus nobis, ipſo in limine duo ſtatim occurrunt, quorum alterum nos ad opus urgendum impellit, ab incœpto deterret alterum. Ad opus urgendum impellit nos Vaticinij granditas, atque præ-

Digitized by Google

ſtantia. Conſtat enim, & nullum Prophetarum, ut teſtatur Hieronymus, (a) tam apertè dixiſſe de Chriſto; & omnium, quæ de Chriſto Daniel prædixit, præclariſſimum haberi hoc Vaticinium, per quod non ipſius modò Adventum, Paſſionem, & Mortem deſcribit, quod eſt commune cum cæteris; verùm etiam Adventus, Paſſionis, & Mortis, definito annorum numero, tempus indigitat: id quod ex Prophetis alius præſtitit nemo. Itaque hoc Vaticinio, & Catholica Veritas roboratur in primis, & Hebraica debellatur planè perfidia, cui meridiana luce clariùs oſtenditur, Meſſiam veniſſe.

(a) *Proœmio in Danielem.*

Deterret nos ab incœpto Quæſtionis arduitas, quæ tanta eſt, ut Origenes hunc locum diſcutiens (b) affirmare non dubitaverit: *Verè quidem comprehendere ſermones Danielis nullius eſſe, niſi Spiritus Sancti, qui fuit in Daniele.*

(b) *Tract. 29 in Matth.*

Hieronymus autem memoratus, ad ea verba Danielis 9. verſ. 23. — *Tu ergo animadverte ſermonem, & intellige viſionem:*
„ Si Danieli dicitur, *inquit*, diligenter atten-
„ de, ut audias, & intelligas, quod vides:
„ quid nos facere oportet, quorum oculi
„ ignorantiæ tenebris, & caligine vitiorum
„ obcæcati ſunt?

Ut

Digitized by Google

Ut autem, quod fuerat verbis profeſſus, Doctor Maximus exemplo ſanciret: in commentario hujus Prophetiæ, hanc tractare Quæſtionem aggreſſus, aliorum opinionibus, ea ſuper re, in medium adductis, quid ſentiret ipſe, (cauſatus periculoſum eſſe de Magiſtrorum Eccleſiæ judicare ſententiis, & alterum præferre alteri) promere recuſavit. Auguſtinus verò, ut Pererius animadvertit, (c) quotiescumque in hanc Quæſtionem impingit, ut Epiſtola 80. & libro 18. de Civitate Dei cap. 34. quaſi conſultò ejus tractationem declinat.

(c) *in præf. lib. 11. in Dan.*

Porro opinionum varietas pene incredibilis, quæ Latinos, & Græcos, veteres, & recentiores, hac ſuper Quæſtione, Authores diſtraxit, ſatis ſuperque magnitudinem hujus difficultatis oſtendit. Præſertim cum eadem hæc opinionum varietas ipſimet Danieli fuerit revelata. *Tu autem Daniel,* inquit cap. 12. v. 4. *claude ſermones, & ſigna librum uſque ad tempus ſtatutum: plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia.*

Non defuere proinde, teſte Deckerio (d) qui hanc Quæſtionem cum ea componerent, quæ apud Mathematicos vertitur, de Tetragoniſmo, ſive de circuli Quadratura;

(d) *in Theorematis de anno Ortus, & mortis Domini par. 4. num. 1.*

ra; quaſi Hebdomadas rite explanare, & circulum quadrare, operoſum perinde ſit.

Hactenus dicta æſtimantes nonnulli, ac] deſperantes planè ſe poſſe Problematis hujus ſalebras omnes evadere, Catholico Authori ſatiùs eſſe arbitrati ſunt, ut idem Deckerius ibidem advertit, dum Judaicus error hinc revincatur, reliquis parcere. Verumtamen, cum *Nobis, non ut eſſent incognita, vel obſcura*, ut monet Caſſianus (e) *Scripturarum Sacramenta, Sancti Spiritus Gratia, promulgata ſint*; cenſendum eſt, ut inquit memoratus Deckerius, *Spiritum eundem, qui hoc Vaticinium pro hominibus ab homine ſcribi juſſit, quidquid magnificum, mirumque continet, ab iiſdem intelligi voluiſſe.* Itaque enitendum nobis eſt, ut, tametſi latentem, atque involutum, hujus Oraculi ſenſum inveſtigemus.

(e) *lib.* 5. *Coll. cap.* 34.

Quod verò Heſychius, in Epiſtola ad Auguſtinum, nemini in hoc Vaticinio ſuam aperire ſententiam permittit, ubi Magiſter Hieronymus id facere dubitavit, nos movere nequaquam debet. Nam, ut ait Sanctus Leo (f). *Non temeritas intervenit præſumptionis, ubi eſt diligentia pietatis.* Præſertim cum, nec difficile admodum ſit aliquid inventis addere; &, quemadmodum *Plerumque contingit*, teſte Magno Gregorio (g) *ut Deus,*

(f) *Ep.* 92. *ad Ruſticum cap.* 16.

(g) *Lib.* 3. *Dial. cap.* 14

Deus, *quibus majora bona præſtat*, *quædam minora non tribuat* : contingere ſimiliter poſſit, ut minora tribuat, quibus majora non præſtat. Quàm modica autem ſint, quæ, ad tantæ ſolutionem Quæſtionis, lucem nobis non modicam attulere, ex Operis hujus decurſu patebit.

Interim verò difficultatem hanc ipſam nihil eſt, quòd nobis Judæi reponant: quaſi operam ludamus, dum ipſos urgemus eo Vaticinio, cujus expoſitio uſque adeo ardua, atque implexa ſit. Ad Judæos enim convincendos ſufficit oſtendere, Hebdomadas, undelibet inchoentur, ante annos mille, & ſexcentos, atque eo ampliùs, eſse completas: atque adeo Meſſiam, cujus cædes in fine hebdomadum futura prædicitur, ante annos mille, & ſexcentos, atque eo ampliùs occiſum fuiſse. Quæ duo oſtendere arduum non eſt. Arduitas in cæteris eſt, atque in eo præſertim, ut Hebdomadum Initium determinetur.

Id ergo, quod in hac Quæſtione difficillimum eſt, aggredimur in præſenti; atque Hebdomadum Initium, hebraico idiomate Duce, determinandum ſuſcipimus.

Supponimus autem, Hebdomadas ſeptuaginta, eſse annorum hebdomadas, atque annos efficere 490. Supponimus rurſus, illas,

illas, circa Chriſti mortem, finem accepiſſe. Et de primo quidem ſuppoſito inter omnes ferè Auctores, etiam heterodoxos, convenit: de ſecundo ferè convenit inter Catholicos. Sed Textum propheticum oportet in medium proferre.

שבעים שבעים נחתך על עמך ועל עיר קרשך לכלא
הפשע ולחתם חטאות ולכפר עון ולהביא צדק עולמים
ולחתם חזון ונביא ולמשח קדש קרשים ׃ ותדע ותשכל
מן מצא דבר להשיב ולבנות ירושלם עד משיח נגיד
שבעים שבעה ושבעים ששים. ושנים תשוב ונבנתה
רחוב וחרוץ ובצוק העתים ׃ ואחרי השבעים ששים
ושנים יכרת משיח ואין לו והעיר והקרש ישחית עם
נגיד הבא וקצו בשטף ועד קץ מלחמה נחרצת שממות ׃
והגביר ברית לרבים שבוע אחד וחצי השבוע ישבית
זבח ומנחה ועל כנף שקוצים משמם ועד כלה ונחרצה
תתך על שומם ׃

Septuaginta hebdomades, (inquit Daniel capite 9. verſ. 24.) *abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper Urbem Sanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animadverte: Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem, uſque ad Chriſtum Ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt: & rurſum ædi-*

ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum. Et poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt. Et civitatem, & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis Hebdomada una: & in dimidio hebdomadæ deficiet hoſtia, & ſacrificium: & erit in templo abominatio deſolationis: & uſque ad conſummationem, & finem perſeverabit deſolatio.

CAPUT SECUNDUM

Duplex de Hebdomadum Septuaginta Initio ſententia probabilior ad examen vocatur.

NUmeroſâ autem opinionum, quæ de Hebdomadum initio circumferuntur, turbâ valere juſsâ; geminas tantùm, quæ ad veritatem accedere propius videntur, diſcutiendas ſuſcipimus: quarum altera ab anno 7. Artaxerxis Longimani Perſarum regis, altera a 20. Initium hujuſmodi deſumendum ſtatuit. Fuit porro hic Artaxerxes Xerxis filius, & a Cyro, qui, Chaldaicâ everſâ, Perſicam condidit monar-

chiam

Digitized by Google

chiam, Perſarum rex ſeptimus. Cyro enim ſucceſſit Cambyſes, (b) Cambyſi Smerdis Magus, Smerdi Darius Hyſtaſpis, Dario Xerxes, Xerxi Artabanus tyrannus, Artabano Artaxerxes hic, de quo loquimur, qui etiam *Longimanus* eſt cognominatus.

(b) *Euſeb. in Chronico.*

Et ſententiam quidem de anno vigeſimo plurimi tum ex veteribus, tum ex recentoribus Auctores tuentur; qui ea potiſſimùm ducuntur ratione, quòd anno vigeſimo, per Nehemiam ab eodem Artaxerxe miſſum, muri Jeruſalem ſint ædificati, ut habemus lib. 2. Eſdræ cap. 6. v. 15. Atque adeo *Exitus ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem*, (unde Hebdomadas inchoandas Angelus admonet) anno eidem videatur præ cæteris convenire.

CAPUT TERTIUM

Difficultas contra annum Artaxerxis vigeſimum, ejuſque duplex ſolutio.

AT difficultas ex Chronologia nec levis ſuboritur. Quia enim annus Artaxerxis Longimani vigeſimus eſt ante Chriſtum 444. ſi huic numero adijcias annos vitæ Chriſti (ut fert communis tradi-

(tio

tio) 33. ſumma fiet annorum 477. Deerunt ergo ad annos 490. ſive ad Hebdomadas ſeptuaginta explendas anni 13.

Duplex graviſſimæ huic difficultati ſolutio adhiberi conſuevit. Prima deſumitur ex annis lunaribus, per quos Hebdomadas ſeptuaginta ab Angelo fuiſse computatas Auctores nonnulli arbitrati ſunt. Cum enim annus lunaris diebus conſtet 354. (adeoque diebus 11. minor ſit anno ſolari) ſi differentia hujuſmodi computetur; ex annis ſolaribus 477. anni efficientur lunares 490. & eò amplius: quare numerus annorum 490. ſi per annos lunares Hebdomadas cenſeamus, planè conſtabit. Auctor hujus ſententiæ fertur Julius Africanus apud Hieronymum (i) quem ſequuti ſunt Theodoretus, Zonaras, Rupertus, Pererius, Salianus, Torniellus, Daniel Huetius, aliique ea ducti ratione, quòd annis lunaribus uti Judæis olim ſolemne fuerit.

(i) in cap. 9. Dan.

Secunda ſolutio eſt illorum, qui annum Artaxerxis vigeſimum ab Eſdra memoratum, non a morte Xerxis derivant, ſed ab anno ipſius 12. quo anno Artaxerxem a patre Xerxe in regni ſocietatem aſſumptum exiſtimant: Quare, cum Xerxes annos 21. regnaverit (k) Artaxerxem annis decem ante patris mortem regnare cœpiſse conſequens eſt.

(k) Diod Sic lib. 11. Sever Sulp. lib. 2.

Atque hac ratione, decem annis repertis, annorum numerum ad Hebdomadas neceſſarium ita complent, ut nulla Hebdomada plena deſideretur.

Hanc porro duplicem Artaxerxis epocham, ſive duplex regnandi initium, probare conantur ex fuga Themiſtoclis nobiliſſimi Athenienſium ducis ad Perſas facta; qui, poſtquam ingenti illa clade Salaminia Xerxis vires fregiſſet, & ſervitute Græciam liberaſſet; regni affectati inſimulatus, capitiſque damnatus a ſuis, ut imminenti exitio ſubduceret ſeſe, victor victo ſupplicare, atque ad Regem Perſarum fugere coactus eſt. (l)

Porro fugam hujuſmodi Diodorus Siculus (m) coniicit in annum 2. Olympiadis 77. Xerxis 14. Thucydides autem libro primo tradit Themiſtoclem fugientem, ad Artaxerſem Xerxis filium, qui nuper regnare cœperat, dediſſe literas: *ἐισπέμπει γράμματα πρὸς Αρταξέρξην τοῦ Ξέρξου νεωστὶ βασιλεύοντα.*

Jam verò ex utroque Diodori, & Thucydidis teſtimonio ſic colligunt: anno Xerxis 14. ex Diodoro, contigit Themiſtoclis ad Perſas fuga: atqui hujus fugæ tempore, ex Thucydide, Artaxerxes regnabat: anno igitur Xerxis 14. Artaxerxes regnabat:

(l) *Thucyd. lib.* 1. *Diod. lib.* 11.

(m) *lib.* 11.

gnabat: cœperat autem regnare anno Xerxis 12. (in eum enim annum initium hoc Artaxerxis Petavius (n) aliique hujus ſententiæ Auctores coniiciunt). Itaque cum Xerxe, qui annos viginti & unum regnavit (o) annos decem regnaſſe Artaxerxes dicendus eſt.

(n) *lib.* 10. *de Doctrin. Temp. cap.* 25.

(o) *Diodorus lib.* 11. *Severus Sulpit. lib.* 2.

CAPUT QUARTUM

Prima ſolutio deſumpta ex annis lunaribus improbatur.

AT neutra reſponſio nodum diſſolvit. Quod enim ad annos lunares pertinet; licet annos hujuſmodi ad feſta mobilia nonnulla celebranda Judæi obſervarent; illos tamen, per menſem intercalarem ſubinde adjectum, annis ſolaribus pares faciebant: & per annos ita æquatos, ſolares nempe, tempora computabant. Quam ſententiam tuentur Lyranus, & Abulenſis in cap. 8. Geneſ. Sigonius de Rep. Hebr. lib. 3. Torniellus ad annum mundi 1656. n. 24. Spondanus ibid. Langius de annis Chriſti libro 1. cap. 9. Pererius in Geneſ. lib. 13. diſput. 6. n. 56. Joannes Mariana in Opuſculo de die mortis Chriſti cap. 9. Henricus Philippi in Manuali Chronologico ad cap. 5. Geneſ.

Salianus ad annum Mundi 1656.n.7. Tirinus in Chronico Sacro cap. 4. Ricciolius tom.1. Chronol. refor. lib.1. cap.10. Rabbini etiam, quos inter Rabbi Majemon (*p*) ſic ait, חרשי השנה הם חרשי הלבנה .... והשנים שאנו מחשבין הם שני החמה, ideſt, *Menſes anni ſunt menſes Lunæ .... Anni verò, quibus computamus, Solis ſunt.*

(*p*) *Hilchoth Kidus Hachodes cap.* 1. §. 1.

Ratio autem eſt manifeſta; ſi enim aliter facerent, & chronologiam per annos lunares Judæi texerent; conſequens eſſet, ut menſis ipſorum primus Nisàn (qui Martio noſtro reſpondet) cum omnibus anni ſolaris menſibus, decurſu temporis, conjungeretur: quod ſic oſtenditur. Ponamus enim hoc anno v. g. initium menſis Nisàn incidere in diem Martii 20. quoniam annus lunaris diebus 11. ut diximus, eſt minor ſolari; idem initium, anno ſequenti, diem Martii vigeſimam diebus 11. neceſſariò antevertet; atque in diem Martii 9. incurret: anno tertio in Februarii 26. anno quarto in Februarii 15. anno quinto in Februarii 4. & ſic deinceps. Itaque intra circulum annorum 33. menſis primus Nisàn, atque adeo Paſcha (quod decimaquarta menſis primi, juxta legem (*q*) celebrare Judæi tenebantur) per omnes anni tempeſtates, mutatis ſemper ſedibus vagaretur; & in æſtatem, autumnum, atque hye-

(*q*) *Exod.* 12. 6.

hyemem incurreret. Hoc autem & cum ipſorum praxi, quam in Paſchate celebrando perpetuò ſervarunt, & cum Scriptura ipſa manifeſtè pugnat: nam & Hebræos verno tempore, ac circa vernum æquinoctium, Paſcha quovis tempore celebraſſe certo certius eſt; & ex Deuter. 16. 1. menſis primus, celebrando Paſchati deſtinatus, menſis verni temporis appellatur: *Obſerva menſem novarum frugum, & verni primum temporis, ut facias phaſe Domino Deo tuo*. Itaque in toto veteri Teſtamento computationem per annos lunares eſſe faciendam, & ſic omnes computare luculentus Auctor Lyranus teſtatur (r). ſolares

(r) in cap. 9. Dan.

His victus argumentis annorum lunarium defenſor Pererius (ſ) fatetur, neque ab Hebræis, nec uſpiam in Sacris Literis, annos lunares in deſcriptione temporum adhiberi: adhuc tamen contendit, Gabrielem hoc loco, quò tectior atque occultior ejus ſermo eſſet (præter communem loquendi, ſcribendi, ac negotiandi conſuetudinem) annis lunaribus uti maluiſſe.

(ſ) lib. 10. in Daniel. quæſt. 9.

Cæterùm quàm gratis id aſſeveratur ab Auctore memorato, tam facilè id ipſum a nobis negatur: quaſi verò non ſatis per ſe ipſam obſcura, atque implexa eſſet hæc Prophetia; niſi adhuc ampliùs, annis inſuetis

ſuetis in computum adhibitis, obſcuraretur. Per annos lunares proinde propoſita difficultas minimè ſolvitur.

CAPUT QUINTUM

Duplicem Artaxerxis Longimani epocham, unde altera ſumitur propoſitæ difficultatis ſolutio, firmam non eſſe.

ALterum itaque ut effugium, ex duplici Artaxerxis Longimani initio deſumptum, præcludamus; aſſerimus primò, ex allegatis Diodori, & Thucydidis teſtimoniis, duplicem Artaxerxis epocham minimè inferri: contendimus ſecundò, etſi duplex Artaxerxis epocha admitteretur, adhuc annum ipſius vigeſimum ab Eſdra memoratum non a prima, ſed a ſecunda epocha, ideſt, a morte Xerxis eſſe computandum.

Primum ſic conficimus: quia, licet Themiſtoclis ad Perſas fugam coniiciat Diodorus in annum ſecundum Olympiadis 77. eam tamen ſeriùs contigiſſe ex Diodoro ipſo, & Thucydide manifeſtè colligitur. Nam Thucydides libro primo tradit Themiſtoclem,

clem, dum fugeret, nave oneraria, quæ in Joniam iter habebat, conſcenſa, in exercitum Athenienſium, qui Naxum obſidebant, tempeſtate delatum fuiſſe: ὁλκάδος τυχὼν ἀναγομένης ἐπ' Ἰωνίας καὶ ἐπιβὰς καταφέρεται χειμῶνι ἐς τὸ Ἀθηναίων στρατόπεδον, ὃ ἐπολιόρκει Νάξον.

Naxum porro (ex eodem Auctore ibidem) obſidebant Athenienſes, bellum adminiſtrante Cimone: Cimon autem, teſte Diodoro (t) ab Athenienſibus, anno tertio Olympiadis 77. fuit in belli ducem delectus.

(t) Lib. 11.

Qua ergo ratione fieri potuit, ut Olympiadis 77. anno 2. Themiſtocles ad Perſas fugeret, quando Naxi obſidio, in quam incidit fugiens, contingere non potuit ante annum 3? (contigit enim bellum adminiſtrante Cimone, qui anno tertio ejuſdem Olympiadis ab Athenienſibus eſt in ducem delectus) imò debuit contingere multò poſt: quoniam Cimon, (ut idem Thucydides eodem libro primo tradit) priuſquàm Naxum obſideret, Ejonem Urbem ad Strymonem ſitam, pulſis Medis, expugnaverat: & Scyrum Ægæi maris inſulam, quam incolebant Dolopes, ceperat, ac diripuerat: & cum Caryſtiis (quos unos ex populis Eubææ inſulæ habebat infenſos) bel-

bellum gesſerat. Πρῶτον μὲν ἠϊόνα τὴν ἐπὶ στρύμονι, μήδων ἐχόντων, πολιορκίᾳ εἷλον καὶ ἠνδραπόδισαν, Κίμωνος τοῦ Μιλτιάδου στρατηγοῦντος, ἔπειτα σκύρον τὴν ἐν τῷ αἰγαίῳ νῆσον, ἣν ᾤκουν δόλοπες, ἠνδραπόδισαν, καὶ ᾤκισαν αὐτοί. Quæ ſanè geſta plurium annorum intervallum ſibi poſtulare nemo non videt. Neque eſt, quòd Themiſtoclis fugam in annos ſequentes protrahas: quandoquidem in eundem annum ſecundum Olympiadis 77. Themiſtoclis fugam, & mortem Diodorus coniicit.

Quare dicendum neceſſariò videtur, Naxum nonniſi anno 3. Olympiadis 78. Xerxis 20. obſeſſam fuiſſe; ut ex Thucydide affirmat Salianus (u) atque adeo Themiſtoclem non niſi anno 4. Olympiadis 78. Xerxis 21. (quem in annum, ut idem Salianus teſtatur, (x) obſidio illa producta eſt) ad Perſas fugiſſe: cùm, mortuo Xerxe, regnare jam cœperat Arttaxerxes. *Conſtat ex Thucydide*, inquit, (Naxi) *obſidionem adhuc ſequenti anno perſeveraſſe, cum Artaxerxes jam Xerxi mortuo ſucceſſiſſet*. Et ſanè ſi quis attentè perpendat quàm multa de Themiſtocle in annum memoratum Diodorus conferat, ita neceſſariò dicendum eſſe, manifeſtè deprehendet.

(u) *ad annum Mundi* 3588.

(x) *ibidem.*

Nar-

Narrat enim primò, (y) Themiſtoclem a Spartanis apud Athenienſes accuſatum, quaſi conſilia, de prodenda Xerxi Græcia, cum Pauſania communicaſſet; tametſi tantis Auctoribus reus ageretur, a proditionis crimine abſolutum fuiſſe. Tum ab Athenienſibus ipſis, qui ſuſpectam ejus potentiam habere cœpiſſent, ex urbe ejectum per oſtraciſmum Argos divertiſſe. Cum autem Lacedæmonii, re cognita, legatos ad eum iterum accuſandum, Athenas miſiſſent; Themiſtoclem Argis, qua in urbe tutò jam degere ſe non poſse intelligeret; ad Admetum Moloſsorum regem ſe contuliſse.

(y) *lib.* 11.

At cum Lacedæmonii bellum Admeto, niſi Themiſtoclem traderet, ab univerſa Græcia inferendum indicerent; a rege minis perterrefacto dimiſsum: duoſque Juvenes natione Ligures, mercaturæ operam dantes, fortè fortuna nactum, cum his fugam intendiſſe, atque eorum benevolentiâ, ſtudioque indefeſſo in Aſiam tandem provectum, apud Lyſitheidem veterem hoſpitem ſe recepiſſe. Hunc, Themiſtoclis fortunam miſeratum, ſalutem ejus tuendam ſuſcepiſſe, eumque ad regem perduxiſſe; cum priùs, ſecreto colloquio, verbis de Themiſtocle ad eum factis, fidem ac-

Digitized by Google

cepiſſet, nullam viro injuriam illatum iri: itaque à rege perhumaniter exceptum, & perhonorificè habitum eſſe. Verùm cum Mandane Darii Hyſtaſpis filia, & Xerxis germana, liberis orbata (quo tempore claſſem Perſarum Themiſtocles profligavit) regem rogaret, ut de Themiſtocle ſupplicium ſumeret; regem reſpondiſſe, ſe Senatum convocaturum; & quicquid ille ſtatueret, id ratum fore. Tempore autem ſatis longo, ad præparationem judicii, conceſſo, Themiſtoclem interea linguam Perſicam didiciſſe, eàque, in crimine diluendo, percommodè uſum noxę, atque pœnæ exemptum fuiſſe. Regem viri ſalute gaviſum, præclaris eum donis cohoneſtaſſe; uxorem ei Perſicam in matrimonium conjunxiſſe, addito ſervorum numero ad miniſterium: tres illi urbes præterea ad neceſſariam, lautamque vitæ ſuſtentationem, ideſt, Magneſiam, Lampſacum, & Myuntem tradidiſſe: quibus in urbibus Themiſtocles, Græcorum metu exolutus, vitam bonorum omnium copià affluentem exegerit: Magneſiæ tandem vità functum ſepulturam idoneam ſortitum eſſe. Hæc ferè Diodorus.

(z) *Lib.* 1. Huc accedit, ex Thucydide (z) Themiſtoclem, poſt oſtraciſmum, Argis diu com-

commoratum: ἔτυχε γὰρ ὠστρακισμένος, inquit, καὶ ἔχων δίαιταν μὲν ἐν Ἄργει, ἐπιφοιτῶν δὲ καὶ ἐς τὴν ἄλλην Πελοπόννησον, ideſt, *Erat extorris apud Argos vitam agens, & per cæteram Peloponneſum commeare ſolitus*. Accedit rurſus, ex eodem Auctore ibidem, eum, priuſquam Admetum adiret, ex Peloponneſo ad Corcyrenſes, qua de inſula bene meritus fuerat, divertiſſe, ab iiſque, ſi Themiſtoclem apud ſe retinerent, Athenienſium, & Lacedæmoniorum iram metuentibus, in oppoſitam continentem deductum eſſe: ὁ δὲ Θεμιστοκλῆς φεύγει, inquit, ἐκ Πελοποννήσου ἐς Κέρκυραν, ὢν αὐτῶν εὐεργέτης. δεδιέναι δὲ φασκόντων τῶν Κερκυραίων ἔχειν αὐτὸν, ὥστε Λακεδαιμονίοις καὶ Ἀθηναίοις ἀπέχθεσθαι, διακομίζεται ὑπ' αὐτῶν ἐς τὴν ἤπειρον τὴν καταντικρύ.

Accedit ex Plutarcho, (a) Themiſtoclem, Magneſiæ commorantem, magniſque cultum donis, atque pari in honore, ac Perſarum Primores, habitum vitam perdiu ſecuram egiſſe: Ἀλλ' ἐν Μαγνησίᾳ μὲν οἰκῶν, inquit, καρπούμενος δὲ δωρεὰς μεγάλας, καὶ τιμώμενος ὅμοια Περσῶν τοῖς ἀρίστοις, ἐπὶ πολὺν χρόνον ἀδεῶς διῆγεν. Quæ omnia niſi diuturno tempore, atque multorum annorum ambitu comprehendi non poſſe manifeſtum eſt.

(a) *In Themiſtocle.*

C 2 Verùm

(b) *In Themiſtocle.*

Verùm quid multis opus eſt? cum Plutarchus ipſe (b) Themiſtoclis mortem, per occaſionem expeditionis contra rebellantem Ægyptum ab Artaxerxe ſuſceptæ, accidiſſe teſtetur: ea autem rebellio decennio circiter poſt annum 2. Olympiadis 77. ex Diodoro, contigerit, ut infra oſtendetur. ὡς δ' Αἴγυπτός τε ἀφισταμένη, inquit, βοηθούντων Ἀθηναίων, καὶ τριήρεις Ἑλληνικαὶ μέχρι Κύπρου καὶ Κιλικίας ἀναπλεύσασαι, καὶ Κίμων θαλασσοκρατῶν ἐπέστρεψεν αὐτὸν ἀντεπιχειρεῖν τοῖς Ἕλλησι, καὶ κωλύειν αὐξανομένους ἐπ' αὐτόν, ἤδη δὲ καὶ δυνάμεις ἐκινοῦντο, καὶ στρατηγοὶ διεπέμποντο, καὶ κατέβαινον εἰς Μαγνησίαν ἀγγελίαι πρὸς Θεμιστοκλέα, τῶν Ἑλληνικῶν ἐξάπτεσθαι, κελεύοντος βασιλέως, καὶ βεβαιοῦν τὰς ὑποσχέσεις. οὔτε δι' ὀργήν τινα παροξυνθεὶς κατὰ τῶν πολιτῶν, οὔτε ἐπαρθεὶς τιμῇ τοσαύτῃ καὶ δυνάμει πρὸς τόν πόλεμον, ἀλλ' ἴσως μὲν οὐκ ἐφικτὸν ἡγούμενος τὸ ἔργον, ἄλλως τε μεγάλους τῆς Ἑλλάδος ἐχούσης στρατηγοὺς τότε, καὶ Κίμωνος ὑπερφυῶς εὐημεροῦντος ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς. τὸ δὲ πλεῖστον αἰδοῖ τῆς τε δόξης τῶν πράξεων ἑαυτοῦ, καὶ τῶν τροπαίων ἐκείνων, ἄριστα βουλευσάμενος ἐπιθεῖναι τῷ βίῳ τὴν τελευτὴν πρέπουσαν, ἔθυσε τοῖς θεοῖς, καὶ τοὺς φίλους συναγαγών, καὶ δεξιωσάμενος, ὡς μὲν ὁ πολὺς λόγος, αἷμα ταύρειον πιών, ὡς δ' ἔνιοι, φάρμακον ἐφήμερον προ-

προ-

προσενεγκάμενος, ἐν Μαγνησίᾳ κατέστρεψε, πέντε πρὸς τοῖς ἑξήκοντα βεβιωκὼς ἔτη, καὶ τὰ πλεῖστα τούτων ἐν πολιτείαις, καὶ ἡγεμονίαις.

ideſt: *Ut verò Ægypti rebellio, adjutoribus Athenienſibus, naveſque Græcorum uſque ad Cyprum, & Ciliciam provectæ, dominanſque Cimon mari, eum ad occurrendum Græcis, & ad reprimendum eorum adversùs ſe incrementum, revocaverunt: Jamque delectus habebatur, duces dimittebantur, & Magneſiam ad Themiſtoclem cum mandatis regiis veniebant nuntii, ut res Græciæ ſuſciperet, præſtaretque promiſſa; neque ira inflammatus in cives ſuos ulla eſt, neque tantis honoribus, & potentia incitatus ad bellum: ſed & rem fortaſſe virium ſuarum non eſſe ratus; præſertim quòd haberet, ea tempeſtate, duces Græcia inclytos, & mirifica eſſet* Cimonis, *in rebus Græcorum gerendis, felicitas: maximè autem rubore gloriæ rerum geſtarum, & illorum Trophæorum: optimè deliberavit vitæ convenientem colophonem imponere. Itaque ſacris operatus, convocatoſque amicos complexus, hauſto, ut celebris fama eſt, taurino ſanguine, vel ut aliqui volunt, veneno præſentaneo ſumpto, annos natus quinque & ſexaginta, quos ferè in Republica adminiſtranda, & imperio tranſegit; Magneſiæ vitam cum morte commutavit.* Hacte-

nus

nus Plutarchus in Themiſtocle.

Porro bis contra rebelles Ægyptios bellum moviſſe Artaxerxem hiſtorici narrant. (c) Primò quidem, duce Achæmene Darii filio, patruo ſuo: & rurſus, Achæmene victo, ducibus Artabazo, & Megabyzo: quare, cum primam expeditionem conjiciat Diodorus (d) in annum tertium Olympiadis 79. ſecundam verò in annum primum Olympiadis 80. Themiſtoclis mortem, vel anno tertio Olympiadis 79. vel anno primo Olympiadis 80. contigiſſe dicendum eſt. Salianus (e) per occaſionem non primæ, ſed ſecundæ expeditionis eam contigiſſe arbitratur, idcirco nimirum, quod Themiſtoclem Magneſiæ, ἐπὶ πολλῶ χρόνον, ideſt, *perdiu* vitam egiſſe ſecuram Plutarchus affirmet; non potuerit autem perdiu Magneſiæ vitam agere, ſi anno tertio Olympiadis 79. (quando Ægyptiorum rebellio primò facta eſt) mortuus dicatur; cum Themiſtocles, eo tempore, vix dum in Aſiam perveniſſet, ac ſe in regis conſpectum dediſſet. Atque hæc nobis ſententia probabilis eſt.

(c) *Thucydid. lib.* 1. *Diodor. lib.* 11.

(d) *Lib.* 11.

(e) *Ad annum Mundi* 3593.

At ſi anno quarto Olympiadis 78. contigit fuga Themiſtoclis, ut vidimus paulò ante; mors autem anno primo Olympiadis 80. ut modo oſtenſum eſt; quomodo in annum ſecundum Olympiadis 77. utramque

que Diodorus coniicit? Per πρόληψιν nimirum, ideſt, per Anticipationem figuram hiſtoricis, tum prophanis, tum ſacris, atque etiam Canonicis uſitatam: ut, quoniam de illo, deque illius accuſatione, atque oſtraciſmo, ſive exilio, eo anno inciderat mentio; reliqua ad ipſum ſpectantia, & fugam, & mortem (licet temporibus diſſita) in unum colligeret; atque, ad alia feſtinans, de Themiſtocle tandem dicendi finem faceret. Id quod plures Chronologi pridem adverterunt: quos inter Salianus paulò ante laudatus (f) *Diodorus*, inquit, *multas res Themiſtoclis*, & *multùm temporibus diſſitas*, *in unum*, & *eumdem conjecit annum*. Calviſius verò (g) *Diodorus hæc omnia* (accuſationem ſcilicet, oſtraciſmum, & mortem Themiſtoclis) *in unum annum conjecit*, *ut ſolet etiam in aliis hiſtoriis*.

(f) *Ad annum Mundi* 3590. *n.* 18.

(g) *Ad annum Mundi* 3479. *n.* 10.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT SEXTUM

Duplex Artaxerxis epocha ex Pererio, & Daniele Huetio iterum improbatur.

ET haſtenus quidem duplex Artaxerxis epocha, præcipuo, in quo nitebatur, everſo fundamento, abundè rejeſta videri potuit. Adhuc tamen, ex duplici Auſtore memorato, libet illam ampliùs infirmare. Et Pererius quidem (b) decimam quintam de initio Hebdomadum, quæ eſt Lucidi, ſententiam exagitans, duplicem hanc epocham triplici argumento refellit. Primò quidem, quòd a plurimis, graviſſimiſque Scriptoribus, Themiſtoclem, in fuga illa ex Græcia in Aſiam, non ad Artaxerxem, ſed ad Xerxem ipſius patrem veniſſe pro certo traditum ſit: ſic enim affirmant Ephorus, Dinon, Clitarchus, & Heraclides, quos allegat Plutarchus (i) quibus Diodorus Siculus, (k) ſuffragatur.

Deinde, quia ſi Xerxes priuſquam extra Perſidem ad bellum proficiſceretur, adminiſtrationem regni Artaxerxi reliquiſſet, (ut duplicis epochæ propugnatores exiſtimant) veroſimile eſt id eum fuiſſe faſtu-

rum,

(b) *Lib.* 11. *in Daniel. par.* 2.

(i) *In Themiſtocle.*

(k) *Lib.* 11.

Digitized by Google

rum eo tempore, quo primam illam, ac celeberrimam expeditionem adversùs Græciam ſuſcepit. Id autem contigit anno primo 75. Olympiadis, ut tradit Diodorus Siculus (l) Ex quo tempore, ſi annos Artaxerxis numeremus, annus regni ejus vigeſimus concurret cum anno quarto Olympiadis 79. Hinc autem uſque ad annum quartum poſt Chriſti Paſſionem, in quo terminantur Hebdomades, *colliguntur*, inquit, *anni* 497. *plures nempe quàm ſint in* 70. *Hebdomadis*.

(l) *Ibidem.*

Tertiò denique, quia Artaxerxes minimus natu erat filiorum Xerxis; primus verò natu, ad quem ſcilicet, ſecundùm Xerxem, regni ſucceſſio pertinebat, erat Darius, ut docet Juſtinus: (m) quamobrem Artabanus, qui, occiſo Xerxe, regnum ſibi aſſerere moliebatur, primum filiorum Xerxis Darium necare eſt aggreſſus: quo ſublato, poſtea etiam Artaxerxis vitæ inſidiatus eſt. Non igitur credibile eſt Xerxem, poſthabito Dario primogenito, & per ætatem gubernaculis imperii tractandis maturiori, paruulo tunc, & minori natu Artoxerxi adminiſtrationem regni permiſiſſe.

(m) *Lib.* 3.

Hæc Pererii argumenta ſolvere conatur Petavius (n). Quidquid autem pro ſe affert Petavius refellit Petrus Daniel Huetius

(n) *Lib.* 10. *de Doctr. temp. cap.* 25

(o) Demonſtrat. Evangel. prop. 9. cap. 8. n. 8

tius (o) quod ubi eſt executus, hæc addit. *Sed & alia nobis ſuppetunt argumenta, quibus ejus* (Petavii ſcilicet) *ſententiam oppugnemus. Hoc primum, aliud eſse regni deſignare Succeſsorem, aliud regni ſocium aſciſcere. Prius hoc Perſis ſolemne fuiſse fateor; at Artaxerxem ad ſucceſſionem regni a patre fuiſse deſtinatum ſi conceſsero, nihil inde cauſæ ſuæ opportunum Petavius eliciet.*

Scribit præterea Plutarchus ex Thucydide, Charonte Lampſaceno, & vetuſtis quibuſdam Chronicis, defuncto jam Xerxe, Themiſtoclem ad Artaxerxem veniſse. Quo teſtimonio labefactatur penitus Petavii opinio: quippe quod apertè demonſtret, neutiquam fuiſse perſuaſum Plutarcho, vel iis, quos laudat, ſcriptoribus, ſimul regnaſse patrem, & filium, cum in Perſidem Themiſtocles ſeceſſit. Id ſi fuiſset, aliqua procul dubio ejus extaret apud Authores ſignificatio, quæ penitus nulla eſt: nec in diverſis eorum referendis ſententiis laborarent Cornelius Nepos, & Plutarchus: nulla enim tum foret eorum diſcrepantia.

Ad hæc conſentaneum eſt rationibus Petavii, puerum fuiſse Artaxerxem, cum ad eum venit Themiſtocles: nam poſt interfectum quoque patrem fuiſse etiam tum puerum

rum teſtificatur Juſtinus (p). *Longè igitur magis puer fuit, cum patre etiam num vivo, ut Petavius ſentit, Themiſtoclem excepit. Deinde a Xerxe jam rege procreatum eum eſſe Petavius aſſeverat; aſcitum verò in communionem regni duodecimo circiter anno poſtquam rex Xerxes creatus eſt. Ergo minor erat duodecim annis, cum particeps regni factus eſt. Atqui ad Artaxerxem νεωςὶ βασιλεύοντα recens regnantem fugiſſe Themiſtoclem narrat locuples Auctor Thucydides. Ex quibus colligitur nondum eum exceſſiſſe pueritiæ annos hoc tempore. Id verò manifeſtè repugnat Thucydidis, & Plutarchi teſtimonio, qui adveniente Themiſtocle ea geſta ab Artaxerxe, dictaque referunt, quæ non niſi ab homine, virilem prudentiam jam adepto, poterant proficiſci.*

(p) *Lib.* 3.

Hæc Auctor memoratus: quibus aliud annectere argumentum poſſumus, inconſtantiam Auctorum videlicet in prima Artaxerxis epocha ſtatuenda: dum unuſquiſque pro annorum numero, quibus indiget, illam magis, vel minus remotam collocat a morte Xerxis: quandoquidem Petavius (q) anno ante Chriſtum 474. Tirinus (r) anno Xerxis 5. (qui cum anno ante Chriſtum 482. concurrit) Ricciolius (s) anno ante Chriſtum

(q) *In Chronico.*
(r) *In Chronico ſacro cap.* 38.
(s) *Tom.* 1. *Chronol. lib.* 6. *c.* 12.

ſtum 472. Artaxerxem a patre in regni ſocietatem aſſumptum ponunt. Itaque Petavius 10. Tirinus 13. Ricciolius 8. annis epocham hujuſmodi Xerxis morte priorem ſtatuit. Epocham ergo tam inconſtantem, omnino fictam, & ad arbitrium ab anni vigeſimi propugnatoribus inductam eſſe quis non videt?

CAPUT SEPTIMUM

Etiam admiſſa duplici Artaxerxis epocha, annum ipſius vigeſimum non a prima, ſed a ſecunda eſſe computandum.

At eſto: duplex fuerit Artaxerxis epocha, ſive duplex regnandi initium; tamen (cum certum ſit annum ipſius ſeptimum, cujus fit mentio lib. 1. Eſdræ cap. 7. a morte Xerxis eſſe computandum) a morte Xerxis ſimiliter annus vigeſimus computetur neceſſe eſt. Quis enim dixerit regis ejuſdem annum 7. & 20. non ab eadem, ſed ab alia, atque alia epocha in libris Eſdræ eſſe derivatos? Quare nullum, ex duplici Artaxerxis epocha anni vigeſimi propugnatores fructum percipiunt.

Annum

Annum verò 7. Artaxerxis a morte Xerxis eſſe computandum nobis videtur manifeſtum ex decreto ejuſdem Artaxerxis, quod anno ipſius 7. latum eſt, ut dicitur Eſdr. 1. cap. 7. & ſic incipit -- *Artaxerxes rex regum Eſdræ Sacerdoti, ſcribæ Dei cæli doctiſſimo ſalutem. A me decretum eſt, ut cuicumque placuerit in regno meo de populo Iſrael, & de Sacerdotibus ejus, & Levitis ire in Jeruſalem, tecum vadat. A facie enim regis, & ſeptem conſiliatorum ejus miſſus es, ut viſites Judæam, & Jeruſalem in lege Dei tui &c.* Et paulò infra: *Omne, quod ad ritum Dei cæli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cæli, ne fortè iraſcatur contra regnum regis, & filiorum ejus &c.* Rogamus enim, utrum fieri poſſit, ut Xerxe in vivis degente, atque imperante, filius ipſius Artaxerxes in regni ſocietatem aſſumptus a patre, decretum conderet, in quo non modò patris nulla mentio fieret; ſed ſeipſe filius *Regem Regum* nominaret, cognomento, quod patri certè, ſi viveret, potiùs quàm filio deberetur. Decretum præterea, in quo, oblatis Deo cæli muneribus, cavetur, *Ne fortè iraſcatur contra regnum regis, & filiorum ejus*; & de regno patris, cui Deus cæli fuerat propitiandus in primis, omnino ſiletur. Decretum

cretum denique graviſſimum, quippe quod ſeptem regiis conſiliariis in conſilium adhibitis condebatur, & in quo ejus urbis inſtauratio decernebatur, quæ deceſſoribus ipſius, Chaldææ regibus, Nabuchodonoſori præſertim, tantum potuerat negotii faceſſere, ut plures contra illam expeditiones ſuſcipere coactus fuerit; & ſæpius victam, ſemperque rebellantem, ne rebellare pergeret, incenderit tandem, & ſolo æquaverit.

Eſt ergo manifeſtum in vivis non ampliùs fuiſſe Xerxem, cum decretum illud conderet Artaxerxes. Unde fit annum Artaxerxis ſeptimum (quo anno decretum illud editum eſt) a morte Xerxis eſſe computandum: atque adeo a morte Xerxis ſimiliter computandum eſſe annum vigeſimum: nihil proinde ex duplici Artaxerxis Epocha, ad annos, quibus indigent, inveniendos, hujus ſententiæ Auctores proficere.

CAPUT

CAPUT OCTAVUM.

Objecta contra argumentum ſuperiori capite allatum refelluntur.

CApite præcedenti ita ratiocinabamur: Artaxerxis anni ſeptimus, atque vigeſimus in libris Eſdræ memorati ad epocham eamdem ſunt referendi: at ſeptimus a morte Xerxis derivetur neceſſe eſt: igitur & vigeſimus inde derivari dicendus eſt. Syllogiſmi hujus majorem, quippe quæ ſatis clara ſponte ſua videretur, poſtulabamus, non probabamus.

Inſurgit nunc contra nos neſcio quis, atque contendit propoſitionem prædictam probandam fuiſſe: qui enim duplicem Artaxerxis epocham tuentur, inquit, illam e veſtigio, ut falſam, explodent.

Nos verò obiicientem interrogamus, quo jure ſibi ſumant duplicis epochæ propugnatores, annos Artaxerxis ſeptimum, atque vigeſimum, quorum in libris Eſdræ fit mentio, a duplici, atque diverſa epocha eſſe computandos; quando duplicis hujus, atque diverſæ epochæ nullum in libris iiſdem, vel uſpiam in ſacris Literis, veſtigium appareat?

Porro

Digitized by Google

Porro quemadmodum Artaxerxis annos ſeptimum, & vigeſimum, ita & Cyri primum, ac tertium in ſacris Bibliis, & quidem ab alio, atque alio Auctore, memoratos reperimus: primum quidem ab Eſdra lib. 1. cap. 1. *In anno primo Cyri regis Perſarum, ut compleretur verbum Domini ex ore Jeremiæ ſuſcitavit Dominus ſpiritum Cyri*: tertium verò a Daniele cap. 10. *Anno tertio Cyri regis Perſarum verbum revelatum eſt Danieli*. Rurſus Cyri ſimiliter apud prophanos Auctores duplex epocha circumfertur, regni Perſici altera, altera imperii Babylonici, ſeu Monarchiæ.

Jam ſi quis annum Cyri primum lib. 1. Eſdræ relatum ab una epocha, annum verò ejuſdem tertium memoratum Danielis 10. ab alia epocha duceret, nonne ab omnibus exploderetur? Idcirco autem exploderetur, quia, cum duplicem Cyri epocham Scriptura non memoret, hi gemini anni ab una omnes epocha, cujus in Scriptura fit mentio, ſunt computandi; ideſt, ab imperio Babylonico, quando res Judaica, ſub ipſius ditionem redacta, ad ipſum cœpit pertinere. Et de anno quidem Cyri primo id ſatis conſtat ex ipſomet lib. 1. Eſdr. cap. 1. Quod verò ad annum tertium pertinet, id docet Hieronymus (t) cùm quo Joannes Mariana, Mal-

(t) *In cap. 10 Dan.*

Maldonatus, Gaſpar Sanctius, Cornelius a Lapide, atque Interpretes alii conſentiunt.

Eodem ergo, imò potiori jure ſunt explodendi, qui annum Artaxerxis ſeptimum, atque vigeſimum in Scripturis notatos, a duplici epocha, cujus nulla in Scripturis ipſis fit mentio, derivandos contendunt. Potiori jure, inquam; quandoquidem Cyri duplex epocha ex prophana Hiſtoria clarè colligitur, atque adeo paſſim recipitur apud Auctores: duplex autem Artaxerxis epocha ex uno, vel altero Scriptore dumtaxat per conjecturam deducitur, & a plurimis Auctoribus improbatur.

Annos itaque geminos Artaxerxis in Scriptura memoratos ab eadem epocha, ab obitu Xerxis patris nimirum derivandos jure præſumimus: id enim tum ſacræ, tum prophanæ Hiſtoriæ poſtulat conſuetudo. Oppoſitum ſi quis tueri velit, probandi neceſſitas illum urgebit.

CAPUT NONUM

Hebdomadas Septuaginta ab anno 7. Artaxerxis derivandas eſſe oſtenditur ex Chronologia.

AB anno itaque Artaxerxis 20. initium Hebdomadum deſumi non poſſe ratione chronologica oſtenſum eſt. Sed neque id poſſe fieri ratione textûs, eo quod in eum annum referri non poſſit *Exitus ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem*, oſtendetur inferiùs.

Reliquum eſt ergo, ut ab anno 7. Artaxerxis Hebdomadas eſſe derivandas dicamus. Quæ ſententia tum ratione chronologica, tum ratione decreti, de Jeroſolyma iterum ædificanda, eo anno lati vera nobis videtur, atque omnibus præferenda.

Et Chronologia ſanè adamuſſim reſpondet. Quod ut oſtendamus, præſumimus modò, quod probabimus alibi, Chriſti Domini mortem contigiſſe anno Aeræ communis 29. ætatis ipſius 33. duobus Geminis Conſulibus. Annum verò Vitæ Chriſti 33. cum anno Æræ communis 29. a nobis conjungi nemo mirabitur: quandoquidem Æræ ejuſdem initium annis 4. vel 5. anno Dominicæ

nicæ Nativitatis poſterius eſſe, apud recentiores Chronologos receptiſſimum eſt. Quos inter Cardinalis Noriſius ([u]) *Æra vulgaris*, inquit, *quam modò Romana Eccleſia ſequitur, auctorem habuit Dionyſium Exiguum, qui ineunte ſexto Chriſti ſeculo floruit. Ab hac tamen epocha meus Panvinius anno diſcordat, biennio Baronius, triennio Sulpicius Severus. At pleno quadriennio ante Æram vulgatam Natale Domini anticipandum contendunt doctiſſimi recentiores e Societate Jeſu, quos honoris, meique erga eorumdem familiam, in cujus ſcholis educatus ſum, obſequij cauſa nomino; nempe Joannes Deckerius in Theſibus, Bucherius in Canonem Paſchalem Victorii cap.* 12. *pag.* 221. *Seneſchallus apud eruditiſſimos Collegas Henſchenium, & Papebrochium in Diatriba præliminari ad menſem Aprilem Exercit.* 2. *num.* 7. *qui tamen in ſuperiorem annum* (5.ante Æram communem) *Natale Domini retrahunt. Quæ pariter ſententia cum hiſtoria Caij rectè conſentit. Eandem cæteris anteponendam judicat* ***Petavius lib.*** **12.** ***Doctr. Temp. cap.*** **6.** ***Uſſerius in rebus chronologicis ſumma cum laude verſatus eidem opinioni adhæret tom.*** **2.** ***Annal. pag.*** **531.**

([u]) *In Cenotaph. Piſan. diſſ.* 2. *cap.* 5. *in fine.*

Eoſdem ferè Auctores pro eadem ſententia recenſet, ac ſequitur Natalis Alexan-

dri (x) quibus addit Kepplerum, & Tirinum. Accedit Antonius Pagi (y) qui tamen unà cum ſupra relatis Kepplero, & Henſchenio, quos pro ſe allegat, anno 40. Juliano (ideſt, anno 5. ante Æram communem) Chriſti Domini Nativitatem affigit.

Hoc poſito dicimus primò, annum 7. Artaxerxis concurrere cum anno 3. Olympiadis 80. Aſſerimus ſecundò annum 3. Olympiadis 80. reſpondere anno ante Chriſtum, ſive ante Æram communem 457. Et primum quidem affirmant ex veteribus Africanus in 5. temporum volumine (z) Euſebius (a) Diodorus Siculus (b) quibus adhærent recentiores plerique, præſertim verò Salianus (c) Petavius (d) Gordonus (e) Torniellus (f) Calviſius (g). Alterum verò, ideſt, annum 3. Olymp. 80. concurrere cum anno ante Chriſtum 457. reperitur paſſim apud modernos Chronologos in annis expanſis, præſertim verò apud paulò ante citatum Petavium (h) Salianum (i) Ricciolium (k) quibus accedunt Cornelius a Lapide (l) Guillelmus Bonjour (m) & Ignatins de Graveſon (n).

Nec obſtat, quòd aliqui ex citatis Auctoribus, ut Petavius, & Ricciolius, annum 3. Olympiadis 80. cum anno 458. ante Chriſtum conjungant: idem enim annus Olym-

(x) *In Hiſt. Eccl. veteris noviq; Teſtam. tom 3. diſſ. 2. qu. 1.*

(y) *In Apparatu chronologico ad Ann. Baron.*

(z) *Apud Hieron. in cap. 9 Dan.*

(a) *In Chronico.*

(b) *Lib. 11.*

(c) *Ad annũ M. 3596.*

(d) *In Chronico.*

(e) *In Opere Chronolog.*

(f) *Ad annũ M. 3590.*

(g) *Ad annũ M. 3492.*

(h) *In Chronico.*

(i) *Ad annũ M. 3596.*

(k) *Tom. 1. Chronolog. refor. lib. 2. cap 2. tab. 1.*

(l) *In cap. 9. Dan.*

(m) *In diſſert. de 70. Hebdomad.*

(n) *In Tract. de myſteriis, & annis Chriſti diſſert. 15.*

Olympiadicus (quippe qui æſtate inchoatur) cum duplici anno Juliano, qui a menſe Januario incipit, neceſſariò concurrit. Itaque annus 3. Olympiadis 80. iniit ineunte æſtate anni ante communem Æram 458. deſiit autem ineunte æſtate anni ante Æram eandem 457.

Ex dictis autem ſic colligimus: annus 7. Artaxerxis concurrit cum anno 3. Olympiadis 80. ideſt, cum anno ante Æram communem 457. additis ergo annis 29. (nam anno Æræ ejuſdem 29. contigit, ut diximus, Chriſti Paſſio) fient anni 486. ideſt, hebdomades ſexaginta novem cum dimidia: atque adeo incidet Chriſti mors in dimidium hebdomadæ, ut fert communis ſententia, quæ inferri videtur ex verbis illis Dan. 9. 27. *In dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium*. Additiſque annis quatuor, ideſt, dimidio hebdomadæ reliquo, fient anni exactè, & adamuſſim 490. ſive hebdomades 70.

Unde obiter conficitur, eum Artaxerxem, cujus annus 7. ab Eſdra memoratur, eſſe Longimanum: ſolius enim Longimani annus 7. a Chriſti morte diſtat hebdomadis 70. Cum regum præcedentium anni ab eadem morte plus diſtent; regum autem ſubſequentium minùs.

Hanc

Hanc porro numeri congruentiam pro anno 7. militantem Pererius, (o) licet in alia ſit ipſe ſententia, & pro anno vigeſimo pugnet, rei veritate victus fatetur per hæc verba: *Poſset hæc ſententia* (anni 7.) *eo probari argumento, quòd a ſeptimo anno regis Longimani, quo miſsus eſt in Judæam Eſdras, hoc eſt, ab anno 3. Olympiadis 80. uſque ad Olympiadem 203. quæ terminavit Hebdomadas, numerus 70. Hebdomadum, hoc eſt, annorum 490. plenus atque integer reperitur. Si verò aliunde ſumatur initium Hebdomadum, numerus eorum annorum, aut major quàm opus eſt, aut minor invenitur. Verùm huic ſententiæ ego non accedo &c.*

(o) *Lib.* 10. *in Daniel. quæſt.* 16.

Contra verò Cornel. a Lap. (p) *Ex hoc evidenti annorum calculo*, inquit, *neceſſariò ſequitur, initium horum 490. annorum ab anno 7. Artaxerxis ſumendum eſse.* Sententiam ſanè, quæ ratione chronologica evidens eſt, ab omni parte veram eſſe neceſſe eſt. Ut enim ait Philoſophus (q) τῷ ἀληθεῖ πάντα συνᾴδει τὰ ὑπάρχοντα, ideſt, *Cum Vero conſonant omnia, quę in re inſunt.* Quomodo ergo vera ſit etiam ratione Prophetici textûs; atque adeo in annum 7. quadret *Exitus ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem*, oportet oſtendere. Id autem ut oſtendatur, quid ſit *Civitatem reædificare* in primis ſtatuendum eſt.

(p) *In cap.* 9. *Dan.*

(q) *Lib.* 1. *Eth. cap.* 8.

CAPUT

CAPUT DECIMUM

Reædificatio civitatis *non modò domorum ac mœnium, verùm etiam civium ac legum reſtitutionem continet.*

Veritas propoſitionis in titulo aſſumptę legitimè videtur deſcendere ex Axiomate notiſſimo, *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*: quod quidem Axioma in cauſa finali præſertim locum habere oſtendit Philoſophus (r). Si enim medicinam propter ſanitatem diligis; multò magis te ſanitatem diligere perſpicuum eſt. Quare cum ædificatio domorum ac mœnium civitatis reſpiciat, tamquam finem, opportunam, ac tutam habitationem civium; qui vult ædificationem domorum ac mœnium, tutam atque opportunam habitatiomem civium multò velit magis neceſſe eſt.

(r) *Lib.* 1. *Poſt. cap.* 2.

Id ipſum oſtenditur ex ſacris Literis: cum enim Gen. 4. 17. de Cain dicitur, *Et ædificavit civitatem*: & rurſus Gen. 10. 11. de Aſſur, *Et ædificavit Niniven*; & ſicubi eamdem phraſim adhibet Scriptura divina; per eam phraſim non modò domos & mœnia, verùm etiam cives & leges comprehendi;

imò

imò verò cives, & leges principaliùs quàm domos & mœnia comprehendi certo certius eſt. Neque enim credendum eſt Cain, aut Aſſur, aut ſi quis alius civitatis conditor in Scripturis memoratur, mœnia atque domos idcirco excitaſſe, ut ea feris ſylveſtribus habitanda relinqueret; ſed ut civibus frequentaret, civibus autem leges ac jura tempori atque loco opportuna ſtatueret.

Unde ſic colligimus: *Ædificare*, & *Iterum ædificare* ea ſolùm ratione differunt, quòd *Ædificare* ædificium ſignificat prima vice poſitum, ſeu conſtitutum: *Iterum ædificare* ſignificat ædificium reſtitutum, ſeu poſitum ſecunda vice: ſed ſi Angelus diceret, *Ab exitu ſermonis, ut ædificetur Jeruſalem*, per eam phraſim, ut ex allatis Scripturæ textibus patet, non ſolùm domos & mœnia, ſed etiam cives, & leges complecteretur: imò principaliùs cives, ac leges, quàm domos ac mœnia complecteretur: ergo cum dicit, *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem*, ſimiliter non domos & mœnia dumtaxat, ſed etiam, imò magis leges, ac cives Angelus complecti dicendus eſt.

CAPUT

CAPUT UNDECIMUM

Ex notione verbi Deſtruo *eadem veritas confirmatur.*

QUia verò *Oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt*, age dum gemina hæc verba *Deſtruo*, & *Ædifico* inter ſe comparemus.

Quid eſt enim Civitatem *deſtruere*? nunquid mœnia, atque ædificia urbis evertere aut ſolo æquare? minimè verò: Si enim vel terræmotu, vel caſu aliquo domus, & mœnia concidant, modò cives, ac leges maneant, non dicetur idcirco *deſtructa* Civitas. At ſi quis cives vel urbe expulerit, vel deportaverit, is ſanè Civitatem verè, ac propriè deſtruxiſſe dicendus erit; ſive mœnia, atque ædificia urbis evertat, ſive ſtare permittat. Atque hac ratione civitatem Jeruſalem, impetrante Nabuchodonoſore, deſtruxere Chaldæi: deſtruxere deinde Romani, exercitum ducente Tito. Itaque, ex oppoſita ratione, non qui mœnia, ac domos dumtaxat, ſed qui cives etiam, & leges conſtituit, vel reſtituit, is Civitatem *ædificare*, vel *reædificare* dicendus erit.

CAPUT DUODECIMUM

Ex contextu capitis 9. Danielis idem evincitur.

QUamquam veritas propoſitionis aſſumptæ ex dictis manifeſta videatur; adhuc tamen ex contextu cap. 9. quo Danielis oratio continetur, libet illam ampliùs roborare. Orantem Propheta quæſo attendamus: majus enim aliquid, quàm ſolam domorum, ac mœnium reparationem ab ipſo ſpectari intelligemus. *Avertatur obſecro ira tua* (inquit v. 16.) *& furor tuus a civitate tua Jeruſalem*: & paulò poſt: *Jeruſalem, & populus tuus in opprobrium ſunt omnibus per circuitum*: deinde v. 17. *Oſtende faciem tuam ſuper Sanctuarium tuum, quod deſertum eſt*, & v. 18. *Vide deſolationem noſtram, & civitatem, ſuper quam invocatum eſt nomen tuum*. Rogamus enim utrum furorem atque iram Divinam, utrum opprobrium, cui patebat Hieruſalem per circuitum, a ſaxis atque ædificiis civitatis, an a civibus in captivitate degentibus Propheta poſtulet propulſari? *Deſolationem* verò quid aliud, quàm hominum, ſive incolarum abſentia facit? ſive enim vim, & ſignificationem Latini verbi *Deſolo*,

Deſolo, ſive Græci ἐρημόω, ſive Hebraici שמם *ſcamàm* inquiras; per nomen hoc *Deſolatio*, græcè ἐρημώσις, hebraicè שממה *ſcemamà* vaſtitatem & ſolitudinem ſignificari invenies. Quò faciunt ejuſdem Danielis verba hoc ipſo capite v. 26. dum ait: *Et poſt finem belli ſtatuta deſolatio*. Quid eſt enim *deſolatio* poſt belli finem ſtatuta, niſi Judææ & Jeruſalem (Judaico populo per Romanos diſperſo, ac diſſipato) vaſtitas, & ſolitudo? Eodem reſpicit Jeremias dum factam a Chaldæis deſolationem lamentatur per ea verba: *Quomodo ſedet ſola Civitas plena populo*! Quæ verba exponens Lyranus, *Sola*, inquit, *ideſt, habitatoribus ſuis privata: plena populo, antequam eſset deſtructa*. Quamquam in re clariſſima Expoſitores afferre non eſt neceſſe. Cum ergo *Deſolationem* Sanctuarij, & Civitatis Propheta deprecatur; quid aliud precatur, quàm ut in Sanctuarium Sacerdotes, & Levitæ, in civitatem cives & populus revocentur? In eo nempe totus eſt vir Dei, ut Babylonicam captivitatem, qua tunc Judæi premebantur, apud Deum exaggeret, & mali tam diuturni, infimis precibus, finem imploret. Quia verò calamitatis illius cauſam peccata populi extitiſſe intelligebat; idcirco, ſecurim ad radicem ponens, in eo totus eſt, ut ſua, & populi ſui peccata coram Domino

confiteatur, iiſque medelam, ac veniam exoret. *Peccavimus*, inquit, a v. 5. *iniquitatem facimus, impiè egimus, & receſſimus; & declinavimus a mandatis tuis, ac judicijs: Non obedivimus ſervis tuis prophetis, qui locuti ſunt in nomine tuo regibus noſtris, patribus noſtris, omnique populo terræ*. v. 11. — *Et omnis Iſrael prævaricati ſunt legem tuam, & declinaverunt, ne audirent vocem tuam, & ſtillavit ſuper nos maledictio, & deteſtatio, quæ ſcripta eſt in libro Moyſi ſervi Dei, quia peccavimus ei*. v. 13. *Non rogavimus faciem tuam Domine Deus noſter, ut reverteremur ab iniquitatibus noſtris, & cogitaremus veritatem tuam*.

Porro Danielis preces a Domino exauditas fuiſſe, apertis verbis Gabriel teſtatur v. 23. — *Ab exordio precum tuarum*, inquit, *egreſsus eſt ſermo: ego autem veni, ut indicarem tibi*. Quæ verba ita exponit Hieronymus: *Ut rogare cœpiſti, ſtatim impetraſti miſericordiam Dei, & egreſsa eſt ſententia: & ego idcirco miſsus ſum, ut exponerem tibi quæ ignoras*. Utriuſque mali proinde, nempe & iniquitatis, & captivitatis medelam a Deo per Angelum promiſſam Danieli fuiſſe conſequenter dicendũ eſt. Angeli itaque reſponſum attendamus. — *Septuaginta hebdomades*, inquit, *abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem*

urbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & ungatur SanctusSanctorum. Ecce peccatorum remedium, per Meſſiam afferendum, quod in votis Danielis erat præcipuum. Ut autem alteri malo, ideſt, Babylonicæ calamitati, modus ſtatuatur, quæ erat votorum Danielis pars altera, pergit Gabriel: — *Scito ergo, & animadverte: Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem, uſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt, & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum.* Ecce remedium Babylonicæ captivitati adhibendum a rege Perſarum, quaſi dicat: Adventat, ne dubita, tempus illud, o Daniel, quando huic calamitati, qua filii Iſrael nunc affliguntur, finis imponetur; & populus tuus pro quo rogas, ſedibus propriis, & civitas, pro qua ſollicitus es, dignitati priſtinæ reſtituetur: eamque reſtitutionem murorum pariter, atque plateæ inſtauratio, non obſtante anguſtia temporum, conſequetur. Ab illius autem reſtitutionis articulo ſeptuagintaHebdomades in peccatorum remiſſionem, per Meſſiam afferendam, divinitus conſtitutæ, exordium ſument: aderit enim Meſſias, & ſe

& ſe ducem exhibebit hebdomada ſexageſimanona.

CAPUT DECIMUMTERTIUM

Idem infertur ex circumſtantia temporis, quo Angelus Danielem alloquitur.

SIc enim arguimus: quo tempore Angelus Danieli myſterium ſeptuaginta Hebdomadum revelabat, in eo erat ſtatu civitas Jeruſalem, in quo fuerat a Chaldæis relicta ab anno Nabuchodonoſoris 19. quando *Venit Nabuzardan* (ut dicitur 4. regum 25.) *princeps exercitus, ſervus regis Babylonis, in Jeruſalem, & ſuccendit domum Domini, & domum regis: & domos Ieruſalem, omnemque domum combuſſit igni. Et muros Jeruſalem in circuitu deſtruxit omnis exercitus Chaldæorum, qui erat cum principe militum. Reliquam autem populi partem, quæ remanſerat in civitate, & perfugas qui transfugerant ad regem Babylonis, & reliquum vulgus tranſtulit Nabuzardan princeps militiæ. Et de pauperibus terræ reliquit vinitores, & agricolas.*

Ut ergo civitas ſic everſa *Reſtitui* dicatur, ſatis patet non ædificia modò, atque mœnia urbis excitanda; verùm etiam cives ac leges eſſe revocandas. Quare, cum verba illa:

illa: *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem*, civitatis Jeruſalem ſic everſæ futuram reſtitutionem contineant, ac ſpondeant; non domorum, atque mœnium dumtaxat, verùm etiam civium, ac legum reſtitutionem verbis iiſdem contineri, & ſponderi dicendum eſt: atque hunc textum de ſolis mœnibus, & ædificiis civitatis exponere, expoſitionem eſſe mutilam, ac diminutam.

Hæc itaque verba: *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem*, non modò domorum ac mœnium, verùm etiam civium, ac legum reſtitutionem involuere ex dictis perſpicuum eſt.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT DECIMUMQUARTUM

Reædificatione civitatis, illis verbis expreſſa: Ab exitu ſermonis ut iterum ædificetur Jeruſalem, *non modò domorum ac mœnium, ſed etiam civium, ac legum reſtitutionem contineri, adhuc clariùs colligitur ex textu Hebraico.*

QUod in vulgata editione legimus: *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem*, ſic habetur in textu Hebraico. מן מצא דבר להשיב ולבנות ירושלם *min motsà davàr lehaſcìb, velibnòth Ieruſcalàim*: in quo textu vox illa להשיב *lehaſcìb* quæ in Vulgata redditur per adverbium *Iterum*, reddi ſimiliter poteſt per verbum *Ad redire faciendum*: atque ita Interpretes Syriacus, & Arabicus, Septuaginta, Rabbini, atque alii plurimi reddiderunt. Verſio enim Syriaca ſic habet ܡܢ ܡܦܩܢܗ ܕܡܠܬܐ ܠܡܗܦܟܘ ܘܠܡܒܢܝܗ ܠܐܘܪܫܠܡ. ideſt, *Ab exitu ſermonis ad redeundum, & ædificandũ Ieruſalem*. Arabica autem Alexandrina

ex

ex pervetuſto codice manuſcripto, qui extat in Biblioth. Collegii Maronitarum de Urbe.

فى مخرج الكلمه لكيما ترجع وتبنى اورشليم idest, *In exitu verbi ut redeat, & ædificetur Jeruſalem*. Septuaginta Interpretes: ἀπὸ ἐξόδου λόγου τοῦ ἀποκριθῆναι καὶ οἰκοδομῆσαι Ἱερουσαλήμ, idest, *Ab exitu ſermonis, ut reſpondeatur* (precibus populi redire cupientis) *& ædificetur Ieruſalem*. Accedit Saadia Gaòn Rabbinos inter primi ſubſellii, qui ea verba מן מצא דבר min motsà davàr *Ab exitu ſermonis*, ſic exponit משיצא הדיבור מלפני הבורא ונגזרה הגזירה להשיב הגולה מבבל ולבנות ירושלם, idest, *A tempore, quo exibit decretum a facie Creatoris, & decidetur deciſio ad redire faciendum deportatos ex Babylone, & ad ædificandam Ieruſalem*.

Eodem modo legiſſe videtur Tertullianus (s) qui ita vertit: *A profectione ſermonis integrando* (per populi reditum ſcilicet) *& reædificando Jeruſalem*.

(s) *Adverſus Judæos cap.* 8.

Ex recentioribus Pagninus Hebraici idiomatis peritiſſimus: *Ab exitu ſermonis ad reverti faciendum, & ædificandum Jeruſalem*:

Vatablus ſimiliter: *Ab exitu ſermonis de reducendo populo, & ædificando Jeruſalem.*

In hac porro Hebraici textus lectione cla-

clariùs emicat veritas, quam propugnamus, ideſt, reædificatione civitatis Jeroſolymæ illis verbis expreſſa: *Ab exitu ſermonis &c.* non modò domorum, ac mœnium, verùm etiam legum, ac civium reſtitutionem contineri. Cum enim ea vox להשיב *lehaſcib*: *Ad redire faciendum*, ad mœnia, atque domos Jeruſalem propriè referri non poſſit; conſequens eſt, ut propriè ad Jeruſalem, acceptam pro civibus, ac legibus, referatur. Itaque civitas ſic accepta non ea ſolùm ratione deprehenditur in Hebraico textu, qua deprehenditur in Latino; quatenus ædificatio domorum ac mœnium ad tutam, & commodam habitationem civium, tamquam ad finem, refertur; ſed etiam ratione alia: ratione nimirum verbi להשיב *lehaſcib*, quod niſi de civibus, atque habitatoribus, ut diximus, exponi cum proprietate non poteſt. Unde fit, ex hebraico textu non modicum Vulgatæ lectioni lucis, ac ſplendoris afferri.

Porro vocem להשיב *lehaſcib*, quam Vulgata reddit per adverbium *Iterum*, exponi ab Auctoribus ſupra memoratis per verbum *Ad redire faciendum*, nemini mirum debet videri; cum radicem hanc שוב *ſcub reverti*, ſive *redire* (unde vox להשיב *lehaſcib*, *Ad redire faciendum*, in conjugatione

Hiphil

Hiphil derivatur) ſubinde per *Verbum* reddat ipſe met Vulgatus Interpres . Sic 4. Reg. 21 . 3. pro eo quod Hebraicè dicitur וישב ויבן את הבמות *vajaſcob vajiben eth babbamòth*, in Vulgata ſic habetur : *Converſuſq; eſt , & ædificavit excelſa* : loco dicendi , iterum ædificavit excelſa . Et rurſus 2. Eſdr. 9. 28. pro eo quod habetur in textu Hebraico וישובו ויזעקוך *vajaſcubu vajizakucba* , Vulgatus reddit : *Converſique ſunt , & clamaverunt ad te* : loco dicendi , iterum clamaverunt ad te . Denique quod hebraicè legimus in Pſal. 85. v.7. אתה תשוב תחיינו *Atta taſcub tebbàjenu* , legimus in vulgata : *Deus tu converſus vivificabis nos* : loco dicendi , iterum vivificabis nos .

Hanc ergo Hebraici textus lectionem , magno uſui in hoc problemate enucleando nobis futuram , amplectimur : ex eaque colligimus , Sermonis , ſive Decreti , per quod Hebdomadum 70. initium ab Angelo indigitatur , duplicem characterem eſſe oportere , juxta duplex verbum להשיב ולבנות *lehaſcìb , velibnòth* , ideſt , *Ad redire faciendum , & ædificandum* ; eoque Decreto & populi reditum , & civitatis ædificationem pariter debere comprehendi .

Jam verò , ut oſtendamus duplicem hunc characterem ſoli convenire decreto

 Arta-

Artaxerxis;omnia, quæ extant in ſacris Literis circa rem Judaicam regum Perſidis decreta ſunt producenda; & cum hoc,de quo agimus Sermone, ſive Decreto comparanda.

CAPUT DECIMUMQUINTUM

Tria circa rem Iudaicam Perſarum regum decreta ex ſacris Literis referuntur.

DEcreta porro circa rem Judaicam a regibus Perſarum lata in ſacris Literis tria reperiuntur. Primum Cyri — (t) *Hæc dicit Cyrus rex Perſarum. Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipſe præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Ieruſalem, quæ eſt in Iudæa. Quis eſt in vobis de univerſo populo ejus? Sit Deus illius cum ipſo. Aſcendat in Ieruſalem, quæ eſt in Iudæa, & ædificet domum Domini Dei Iſrael, ipſe eſt Deus, qui eſt in Ieruſalem &c.*

(t) 1.*Eſd.*1.

Alterum eſt Darii (u) — *Tunc Darius rex præcepit: & recenſuerunt in bibliotheca librorum, qui erant repoſiti in Babylone, & inventum eſt in Ecbatanis, quod eſt caſtrum in Medena provincia, volumen unum, taliſque ſcriptus erat in eo commentarius. Anno primo Cyri regis: Cyrus rex decrevit ut domus Dei ædificaretur, quæ eſt in Ieruſalem, in loco,*

(u) 1.*Eſd.*6.

Digitized by Google

loco, ubi immolent hoſtias, & ut ponant fundamenta ſupportantia altitudinem cubitorum ſexaginta, & latitudinem cubitorum ſexaginta, ordines de lapidibus impolitis tres, & ſic ordines de lignis novis: Sumptus autem de domo regis &c. . . Nunc ergo Thathanai dux regionis, quæ eſt trans Flumen, Stharbuzanai, & conſiliarij veſtri Apharſachæi, qui eſtis trans Flumen, procul recedite ab illis, & dimittite fieri templum Dei illud a duce Iudæorum, & a ſenioribus eorum, ut domum Dei illam ædificent in loco ſuo &c. . . Ego Darius ſtatui decretum, quod ſtudiosè impleri volo.

Tertium Artaxerxis (x) — *Artaxerxes rex regum Eſdræ Sacerdoti ſcribæ legis Dei cæli doctiſſimo ſalutem. A me decretum eſt, ut cuicumque placuerit in regno meo de populo Iſrael, & de Sacerdotibus ejus, & de Levitis ire in Ieruſalem, tecum vadat. A facie enim regis, & ſeptem conſiliatorum ejus miſſus es, ut viſites Iudæam, & Ieruſalem in lege Dei tui, quæ eſt in manu tua: & ut feras argentum, & aurum quod rex, & conſiliatores ejus ſponte obtulerunt Deo Iſrael, cujus in Ieruſalem tabernaculum eſt. Et omne argentum, & aurum quodcumque inveneris in univerſa provincia Babylonis, & populus offerre voluerit, & de Sacerdotibus quæ ſponte obtulerint domui Dei ſui, quæ eſt in Ieruſalem, liberè*

(x) 1. *Eſd.* 7.

liberè accipe, & ſtudioſè eme de hac pecunia vitulos, arietes, agnos, & ſacrificia, & libamina eorum, & offer ea ſuper altare templi Dei veſtri, quod eſt in Ieruſalem. Sed & ſi quid tibi, & fratribus tuis placuerit de reliquo argento & auro ut faciatis, juxta voluntatem Dei veſtri facite. Vaſa quoque, quæ dantur tibi in miniſterium domus Dei tui, trade in conſpectu Dei in Ieruſalem. Sed & cætera, quibus opus fuerit in domum Dei tui, quantumcumque neceſſe eſt ut expendas, dabitur de theſauro, & de fiſco regis, & a me. Ego Artaxerxes rex ſtatui, atque decrevi omnibus cuſtodibus arcæ publicæ, qui ſunt trans Flumen, ut quodcumque petierit a vobis Eſdras Sacerdos, Scriba legis Dei cæli, abſque mora detis uſque ad argenti talenta centum, & uſque ad frumenti coros centum, & uſque ad vini batos centum, & uſque ad batos olei centum, ſal verò abſque menſura. Omne, quod ad ritum Dei cæli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cæli: ne fortè iraſcatur contra regnum regis, & filiorum ejus. Vobis quoque notum facimus de univerſis Sacerdotibus, & Levitis, & cantoribus, & janitoribus, Nathinæis, & miniſtris domus Dei hujus, ut vectigal, & tributum, & annonas non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos. Tu autem Eſdra, ſecundum

dum

dum ſapientiam Dei tui, quæ eſt manu tua, conſtitue judices, & præſides, ut judicent omni populo, qui eſt trans Flumen, his videlicet qui noverunt legem Dei tui, ſed & imperitos docete liberè. Et omnis, qui non fecerit legem Dei tui, & legem regis diligenter, judicium erit de eo ſive in mortem, ſive in exilium, ſive in condemnationem ſubſtantiæ ejus, vel certè in carcerem.

CAPUT DECIMUMSEXTUM

Quartum non rectè a quibuſdam Decretum induci.

QUartum aliqui decretum, ab Artaxerxe (Nehemia rogante) anno regni ſui vigeſimo latum colligunt ex lib. 2. Eſdræ cap. 2. ubi ſic habetur: -- *Factum eſt autem in menſe Nisàn, anno vigeſimo Artaxerxis regis: & vinum erat ante eum, & levavi vinum, & dedi regi: & eram quaſi languidus ante faciem ejus. Dixitque mihi rex: Quare vultus tuus triſtis eſt, cum te ægrotum non videam? non eſt hoc fruſtra, ſed malum neſcio quod in corde tuo eſt. Et timui valde, ac nimis: & dixi regi: Rex in æternum vive: quare non mœreat vultus meus, quia civitas domus ſepulchrorum patris mei deſerta eſt, & portæ ejus combuſtæ ſunt igni? Et ait*

ait mihi rex: Pro qua re poſtulas? Et oravi Deum cæli, & dixi ad regem: Si videtur regi bonum, et ſi placet ſervus tuus ante faciem tuam, ut mittas me in Iudæam ad civitatem ſepulchri patris mei, & ædificabo eam. Dixitque mihi rex, & regina quæ ſedebat juxta eum: uſque ad quod tempus erit iter tuum, & quando reverteris? Et placuit ante vultum regis, & miſit me: & conſtitui ei tempus.

Cæterùm hoc in textu nullum regii decreti veſtigium apparet, nulla juſſionis formula, qualem tria memorata decreta præſeferunt. Dicit enim Cyrus: *Quis eſt in vobis de univerſo populo Iſrael? Sit Deus illius cum ipſo: aſcendat* &c. Dicit Darius. *Ego Darius ſtatui decretum, quod ſtudioſè impleri volo.* Dicit Artaxerxes anno 7. *A me decretum eſt*. At nihil tale idem Artaxerxes dicit anno 20. ſed ſolam abeundi in Jeruſalem Nehemiæ roganti tribuit facultatem. Facultas autem, ſive permiſſio per principem facta, quantum a principis decreto diſtet notum eſt omnibus.

Digitized by Google

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM

Non modò nullum decretum, ſed nec facultatem de Jeroſolyma ædificanda ab Artaxerxe anno 20. *exijſſe oſtenditur*.

DIcet aliquis, eſto: nullum de Jeruſalem ædificanda decretum anno regni ſui vigeſimo fecerit Artaxerxes; tamen, cum Nehemiæ roganti, ut liceret ſibi abire in Judæam, & Jeruſalem ædificare, abeundi & ædificandi poteſtatem fecerit; eaque accepta poteſtate Nehemias Jeruſalem reipſa ædificaverit, ut patet ex 2. Eſdr. cap. 6. v. 15. nihil eſt, cur in annum Artaxerxis 20. *Exitus ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem* referri non poſſit. Nam ea voce דבר *davàr ſermo* non decretum modò, verùm etiam facultatem, ſive permiſſionem ſignificari poſſe ex Hebraico idiomate compertum eſt.

Reſpondemus aliud eſſe facultatem abeundi in Judæam, aliud facultatem ædificandi Jeruſalem: & primam quidem poſtulatam fuiſſe a Nehemia concedimus, ſecundam negamus. Id autem negandi ratio nobis nec una ſuccurrit: primò enim ædificandi facultatem jam inde ab anno 7. per decretum Ar-

taxerxis fuiſſe Judæis factam in dubium vocari non poteſt. Quis enim negaverit eo decreto, quo reditus in Judæam, & Αὐτονομία, ideſt, facultas vivendi legibus propriis Judaico populo concedebatur, facultatem urbis ædificandæ pariter contineri? Licet autem negari id minimè poſſe videatur, nos tamen id ipſum cap. 20. & ſequentibus latè probaturi ſumus.

Deinde, ſi contextum allegati capitis 2. Nehemię perpendas, eadem hęc veritas apertè conſtabit. Quid eſt enim, quod Nehemiæ apud Artaxerxem duo memoranti, miſſionem nimirum, & ædificationem; *Ut mittas me in Judæam ad civitatem ſepulchri patris mei, & ædificabo eam*; nihil circa ædificationem, non nihil circa miſſionem reponit rex, imò & regina, quæ ſedebat juxta eum, dicendo: *Uſque ad quod tempus erit iter tuum, & quando reverteris?* cum tamen multò majoris momenti in ædificatione Jeroſolymæ, quàm in miſſione Nehemiæ (ut patet) negotium verteretur: niſi quia ædificandi facultas, quòd eſſet olim facta, nihil, facultas autem abeundi, quòd eſſet recens facienda, & regis pincerna Nehemias eſſet, non nihil difficultatis præſeferebat.

(y) *In cap. 9. Dan. n. 108.* Itaque Gaſpar Sanctius (y) in rem noſtram peropportunè, ego quidem ſic opinor, inquit,

Digitized by Google

inquit „ Non tam Nehemiam a Perſa-
„ rum rege poſtulaſſe facultatem inſtauran-
„ dæ urbis (quam haberet jam ab ipſo rege)
„ quàm ſibi ut liceret abeſſe aliquandiu ab
„ aula regia , in qua regi miniſter erat a po-
„ culis , ut habetur Nehemiæ cap. 2. v. 1.
„ Quare cum ægrè ferret a ſe divelli Nehe-
„ miam, non ſine cauſa verebatur (ipſe Ne-
„ hemias) orare a rege , ſibi ut liceret in
„ patriam ſecedere , & procul abire a regio
„ conſpectu. Quod autem hoc unum exora-
„ tum eſſe voluerit a rege , ipſe docet v.4.
„ cum enim rex dixiſſet , pro qua re poſtu-
„ las ? Ipſe ſubdit : *Oravi Deum cæli , & dixi*
„ *ad regem : Si videtur regi bonum , & ſi pla-*
„ *cet ſervus tuus ante faciem tuam ; ut mittas*
„ *me in Judæam, ad civitatem ſepulchri patris*
„ *mei , & ædificabo eam .* Quàm verò rex
„ graviter ferret , abeſſe Nehemiam ab au-
„ la, ſuadet id, quod additur mox: *Dixitque*
„ *mihi rex , & regina , quæ ſedebat juxta*
„ *eum : Uſque ad quod tempus erit iter tuum,*
„ *& quando reverteris ? Et miſit me , & con-*
„ *ſtitui ei tempus .*

Non ergo ædificandi facultatem anno 20. Nehemias ab Artaxerxe poſtulavit: *Superfluum eſt enim precibus poſtulare quod jam legibus permiſſum eſt.* (z) Quod autem anno 20. Jeruſalem per Nehemiam re ipſa

(z) *l. Nemo in poſterum. Cod. de Theſauris.*

 fuerit

fuerit ædificata, parum prodeſt, quia Angelus non ab ædificatione, ſed *Ab exitu ſermonis, ut ædificetur Ieruſalem* Hebdomadas ſtatuit inchoandas.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM

Neque ad Cyri, neque ad Darij decretum initium Hebdomadum referri poſſe.

JAm verò neque ad Cyri, neque ad Darij Decretum Hebdomadum initium referri poſſe, probatur primò ratione chronologiæ: nam Cyri decretum latum eſt anno ante Chriſtum 538. monarchiæ Cyri primo: Decretum autem Darii anno anteChriſtum 520. regni ejus ſecundo. Quare Chriſti mortem (quam affiximus anno Æræ communis 29.) Cyri decretum præcedit annis 567. Si enim ad annos 538. addas 29. fient anni 567. Darij decretum præcedit annis 549. Si enim ad annos 520. addas 29. fient anni 549. Itaque chronologia, ex decreto quidem Cyri ducta, ſuperat numerum Hebdomadum, ideſt, annos 490. annis 77. ex Darij autem decreto ſuperat annis 59. Si enim ab annis 567. ſubtrahas annos 490. reliqui erunt anni 77. etſi ab annis 549. ſubtrahas annos 490. reliqui erunt anni 59.

Pro-

Probatur ſecundò ratione duplicis characteris, quo Hebdomadum initium, ab Angelo deſignatur, ideſt, להשיב ולבנות ירושלם *lehaſcìb, velibnòth Ieruſcalàim, Ad redire faciendum, & ædificandum Jeruſalem*; neuter enim character in decreto Darij reperitur (qui nec populum fecit redire, nec Jeruſalem, ſed templum ædificavit) alter tantummodo reperitur in decreto Cyri, quo reditus quidem populi, non tamen civitatis ædificatio continetur. Cyri decretum proinde ſpectaſſe Gabriel non eſt dicendus: ſi enim Cyri decretum ſpectaret non diceret, מן מצא דבר לחשיב ולבנות ירושלם *min motsà davàr lehaſcìb velibnòth jeruſcalàim, Ab exitu ſermonis ad redire faciendum, & ædificandum Ieruſalem*, ſed diceret; מן מצא דבר להשיב ולבנות את בית יהוה *min motsà davàr lehaſcìb velibnòth eth beth Adhonài: Ab exitu ſermonis ad redire faciendum, & ædificandum templum Domini.*

Nec obſtat quod de Cyro dicitur Iſaiæ 45. 13. *Ipſe ædificabit civitatem meam*: ejuſdem enim civitatis ædificium ad plures referri Auctores nil vetat. Ædificavit ergo Jeruſalem Cyrus, dum, laxata captivitate, redeundi, atque adeo ædificandi poteſtatem Judæis fecit: ædificavit & Artaxerxes, tum quod id ipſum iterum Judæis permiſerit, tum, multò magis, quod ijſdem Αὐτονομίαν, ideſt

ideſt facultatem vivendi legibus propriis conceſſerit anno 7. Ædificavit rurſus, eo quod Nehemiam ſubſidijs ad ædificandum opportunis, militibuſque inſtructum miſerit anno 20. & per ipſum, abſolutis mœnibus, ſupremam operi manum impoſuerit. Ex quibus ſatis conſtat quanto potiori jure Artaxerxi, quàm Cyro Jeroſolymæ ædificatio tribuenda ſit.

CAPUT DECIMUMNONUM

Idem de Decreto commentitio anni vigeſimi eſſe dicendum.

PRimò enim verbum להשיב *lehaſtib Ad redire faciendum*, in textu, qui ex 2. Eſdræ 2. pro anno Artaxerxis vigeſimo affertur, locum non habet: quandoquidem eo in textu de reditu populi nulla ſit mentio: Itaque primus in eo character, ideſt, *reditus populi* deſideratur.

Deinde, cum Gabriel ædificium plateæ, & muri ad anguſtiam temporum referat; ait enim: *Rurſus ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum*: Dum autem initium Hebdomadum indigitat, de anguſtia hnjuſmodi nullam mentionem faciat: dicit enim dumtaxat: *Ab exitu ſermonis ad redire faciendum, & ædi-*

& ædificandum Ieruſalem, nec addit, *in anguſtia temporum*; ſatis ſuperque hujus initij, & illius ædificij tempus diſtinguit. Quare, cum ædificium in annum incidat Artaxerxis vigeſimum, in annum eumdem initium Hebdomadum, ſive *Exitus ſermonis*, *ad redire faciendum, & ædificandum Ieruſalem* incidere planè non poteſt.

Quare non ſolùm τὸ להשיב *lehaſcib Ad redire faciendum*, ſed etiam τὸ ולבנות *velibnoth & ad ædificandum*, adeoque character uterque in anno vigeſimo deſideratur. *Exitus ſermonis* proinde *ad redire faciendum*, *& ædificandum Ieruſalem*, neque in Cyri, neque in Darij decretum quadrat, neque in quodcumque eſt illud, ſive decretum, ſive facultas Artaxerxis, quæ anno ipſius 20. Nehemiæ precibus eſt impetrata.

Reliquum eſt ergo, ut *Exitus* hujuſmodi ad annum Artaxerxis ſeptimum, atque ad ipſius decretum, eo anno conditum, referatur. Cui decreto cum primus character להשיב *lehaſcib*, *Ad redire faciendum* apertè conveniat, ut patet ex illis verbis: *A me decretum eſt*, *ut cuicumque placuerit in regno meo de populo Iſrael*, *& de Sacerdotibus ejus*, *& de Levitis ire in Ieruſalem tecum vadat*; de charactere altero ולבנות ירושלם *velibnòth Ieruſcalaim*, *& ad ædificandum Ieruſalem*, ſupereſt inquirendum. CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VIGESIMUM

Quæ & quanta decreto ſuò contulerit Judæis beneficia Artaxerxes expenditur.

OPeræ pretium fuerit, antequam propoſitum inquiramus, quæ, & quanta Artaxerxes decreto ſuo Judæis contulerit beneficia, ponderare: ut hac etiam ratione appareat decretum hujuſmodi dignum fuiſſe, quod Gabriel ſpectaret, cum ea, quæ populo Dei erant eventura, Danieli prædiceret. Nam decreto hujuſmodi, præter poteſtatem redeundi (quam & Cyrus antea Judæis fecerat) alia multa ijſdem conceduntur, quorum in Cyri decreto nulla fit mentio. Ante omnia autem conceditur Αὐτονομία, ideſt, libertas utendi legibus propriis, per ea verba v.14. -- *A facie regis, & ſeptem conſiliatorum ejus miſſus es, ut viſites Iudęam, & Ieruſalem in lege Dei tui, quæ eſt in manu tua.*

Triplici porro præceptorum genere lex vetus continebatur, moralium ſcilicet, cæremonialium, & judicialium, juxta illud (a) *Hæc ſunt præcepta, & cæremoniæ, atque judicia, quę mandavit Dominus Deus veſter, ut docerem vos.* Cujus diviſionis rationem red-

(a) Deuter. 6. 1,

dens

dens D. Thomas (b) -- Ad legem divi- (b) 1. 2. *quæſt.* 99. *art.* 4.
„ nam pertinet, inquit, ut ordinet homi-
„ nes ad invicem, & ad Deum. Utrumque
„ autem horum in communi quidem perti-
„ net ad dictamen legis naturæ, ad quod
„ referuntur *moralia* præcepta: Sed opor-
„ tet, quod determinetur utrumque per
„ legem Divinam, vel humanam: quia prin-
„ cipia naturaliter nota, ſunt communia tam
„ in ſpeculativis, quàm in activis. Sicut
„ igitur determinatio communis præcepti,
„ de cultu Divino, fit per præcepta *cæremo-*
„ *nialia*, ſic & determinatio communis præ-
„ cepti de juſtitia obſervanda inter homi-
„ nes, determinatur per præcepta *judicialia.*
„ Secundum hoc oportet tria præcepta le-
„ gis veteris ponere; ſcilicet *moralia*, quæ
„ ſunt de dictamine legis naturæ; *cæremo-*
„ *nialia*, quæ ſunt determinationes cultus
„ Divini; & *judicialia*, quæ ſunt determi-
„ nationes juſtitiæ inter homines obſervan-
„ dæ. Unde cum Apoſtolus Rom. 7. di-
„ xiſſet, quod *Lex eſt ſancta*, ſubjungit,
„ quod *Mandatum eſt juſtum*, & *bonum*, &
„ *ſanctum*: *juſtum* quidem quantum ad ju-
„ dicialia, *ſanctum* quantum ad cæremo-
„ nialia (nam ſanctum dicitur, quod eſt Deo
„ dicatum) *bonum*, ideſt, honeſtum quantum
„ ad moralia. Hactenus Angelicus Doctor.

Itaque Artaxerxes, quippe qui ampliſſimam utendi legibus proprijs poteſtatem Judæis faceret, hæc omnia, decreto ſuo, præcepta complectitur: *Moralia* quidem per ea verba v. 14. -- *Ut viſites Iudæam, & Ieruſalem in lege Dei tui, quæ eſt in manu tua.* Quemadmodum enim *præcepta*, ut inquit S.Doctor ibidem,*antonomaſticè dicuntur moralia*; ita præcepta moralia antonomaſticè dicuntur *Lex. Cæremonialia* verò a v. 15. ad 24. in quibus de Templi ornatu, & Divino cultu, & Sacrificio in primis reſtituendo præcipitur, per ea verba -- *Et omne argentum, & aurum quodcumque inveneris in univerſa provincia Babylonis, & populus offerre voluerit, & de Sacerdotibus, quæ ſponte obtulerint Domui Dei ſui, quæ eſt in Jeruſalem, liberè accipe, & ſtudioſè eme de hac pecunia vitulos, arietes, agnos, & ſacrificia, & libamina eorum, & offer ea ſuper altare templi Dei veſtri, quod eſt in Jeruſalem. Judicialia* denique a v. 25. dum Eſdræ conſtituendorum magiſtratuum poteſtatem facit; -- *Tu autem, Eſdra, ſecundùm ſapientiam Dei tui, quæ eſt in manu tua, conſtitue Iudices, & Præſides, ut judicent omni populo.* Quantum ſit autem hujuſmodi beneficium reſtitutæ Autonomiæ, ex eo poſſumus æſtimare, quod multæ Civitates, ut Cardinal.

Nori-

Noriſius advertit (c) ab Autonomia ſibi reſtituta, novam Epocham, veteri neglecta, ſunt auſpicatæ: quaſi iterum conditæ tunc eſſent, quando proprias leges recepere.

(c) *In Epochis Syromaced. Diſſert.* 3 *cap.* 3.

Sacerdotes deinde, & miniſtros Templi a tributo eximit v. 24. *Vobis quoque notum facimus, de univerſis Sacerdotibus, & Levitis & cantoribus, & janitoribus, Nathinæis, & miniſtris domus Dei hujus, ut vectigal, & tributum, & annonas non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos.*

Denique concedit etiam Jus gladij, ideſt, facultatem animadvertendi in facinoroſos v. 26. *Et omnis qui non fecerit legem Dei tui, & legem regis diligenter, judicium erit de eo, ſive in mortem, ſive in exilium, ſive in condemnationem ſubſtantiæ ejus, vel certè in carcerem*: & hanc quidem facultatem *meri Imperij* appellant Juriſconſulti, eamque, ut Cornelius a Lapide ad hunc textum obſervat, Judæi ſub Romanis poſiti non habebant, cum dicerent (d) *Nobis non licet interficere quemquam*. Nec obſtat quod in hiſtoria Suſannæ narratur (e) de capitali ſupplicio, quo duo ſeniores Judices populi, propter latum in Suſannam falſum teſtimonium, Daniele ipſo ſententiam ferente, ſunt affecti. Aliud eſt enim habere jus gladij ex permiſſione Principis in terra alie-

(d) *Joan.* 18. 31.

(e) *Dan.* 13. 61.

 na:

na; aliud ex decreto Principis in terra ſua.

Huc accedunt donaria, quæ miſit Artaxerxes, tanto digna Principe, per manum Eſdræ in templum Domini inferenda: eo enim præſertim nomine Eſdras mittebatur: *Miſſus es*, inquit v. 15. *Ut viſites Judæam, & Jeruſalem in lege Dei tui, quæ eſt in manu tua: & ut feras argentum, & aurum, quod rex, & conſiliatores ejus ſponte obtulerunt Deo Iſrael, cujus in Ieruſalem tabernaculum eſt.*

Accedunt ex fiſco regio largitiones ampliſſimæ: *Ego Artaxerxes rex ſtatui*, inquit, v.21. *atque decrevi omnibus cuſtodibus arcæ publicæ, ut quodcumque petierit a vobis Eſdras Sacerdos abſque mora detis, uſque ad argenti talenta centum, & uſque ad frumenti coros centum, & uſque ad vini batos centum, & uſque ad batos olei centum, ſal verò abſque menſura. Corus*, inquit Hieronymus (f) 30. *habet modios tam in aridis ſpeciebus, quàm in liquentibus, Batus autem decima pars eſt Cori*. Talentum porro (ut tradit Menochius hoc loco) tria millia Siclorum; Siclus verò quatuor Hiſpanicos regales continet. Ex quibus patet, quantam pecuniæ vim largitiones hujuſmodi abſorberent: quas quidem largitiones fuiſſe quotannis iterandas Gaſpar San-

(f) *In cap. 45. Ezech.*

Sanctius, & Nicolaus Lombardus in loci hujus expoſitione veroſimilius arbitrantur. Id quod etiam ex illis decreti verbis videtur colligi, v. 21. *Ut quodcumque petierit a vobis Eſdras Sacerdos Scriba Dei cæli, abſque mora detis*: & rurſus ex illis, v. 23. *Omne, quod ad ritum Dei cæli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cæli*: quibus verbis ſatis inſinuat Sacer Hiſtoricus nec unica largitione rem definiri, nec uno anno liberalitatem Principis limitari.

Supereſt jam ut in decreto eodem characterem alterum, quo initium Hebdomadum ab Angelo deſignatur, ideſt, ולבנות ירושלם *velibnòth Jeruſcalàim*, & ad ædificandum Jeruſalem, ineſſe oſtendamus.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM

Decreto Artaxerxis facultatem ædificandæ Ieruſalem contineri.

CIvitatis ædificio non ſolùm domos, & mœnia, ſed etiam cives, ac leges comprehendi cap. 10. & ſequentibus ſatis oſtendimus: Jam verò Jeroſolymæ utroque modo acceptæ ædificationem, ſive reſtitutionem Artaxerxis decreto contineri, atque adeo characterem alterum illi competere, videlicet ולבנות ירושלם *velibnòth Jeruſcalàim*, *Et ad ædificandum Jeruſalem*, in præſenti affirmamus: de Ieruſalem autem accepta pro civibus, ac legibus hoc in capite agemus: de eadem accepta pro domibus, ac mœnibus in ſubſequentibus.

Et prior quidem pars aſſertionis ita planè, atque dilucidè ex dictis deſcendit, ut nullam ulteriorem expoſcere probationem videatur. Cum enim Artaxerxes decreto ſuo Iudæis redire permiſerit: *A me decretum eſt*, inquit v. 13. *ut cuicumque placuerit in regno meo de populo Iſrael, & de Sacerdotibus ejus, & de Levitis ire in Jeruſalem, tecum vadat*: redeuntibus autem Αὐτονομίαν, ideſt, leges proprias reſtituerit: *A facie enim regis, & ſeptem*

Digitized by Google

& ſeptem conſiliatorum ejus miſſus es, inquit v. 14. *ut viſites Judæam, & Ieruſalem in lege Dei tui, quæ eſt in manu tua*; ex duplici hoc titulo, & ſi cæteri deeſſent, ſatis evincitur civitatem Ieruſalem, quod ad cives, atque leges attinet, decreto Artaxerxis fuiſſe reſtitutam. Quantò magis autem id evincetur, ſi duplici huic titulo cæteros addas, quos expendimus capite præcedenti. Ut ergo aſſertionis partem alteram, quæ in dubium a multis vocatur, atque adeo eſt controverſa, oſtendamus, ſit

CAPUT VIGESIMUMSECUNDUM

Stante decreto Artaxerxis domos etiam, & mœnia Ieroſolymæ ædificare ex Iure multiplici Iudæis licuiſſe, & primo ex Iure Naturæ, & Iure Gentium.

N*Aturale jus eſt, quod natura omnia animalia docuit* (g) De Iure hoc differens Tullius (h) ait: *Principiò generi animantium omni eſt natura tributum, ut ſe, vitam, corpuſque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur, omniaque, quæcumque ad vivendum ſint neceſſaria, inquirat, & paret, ut paſtum, ut latibula, ut alia ejuſdem generis.* Itaque

(g) *l. Iuri operam. ff. de Iuſtitia, & jure.*
(h) *Lib. 1. Offic.*

Itaque animantibus omnibus *latibula*, ideſt, *habitationem*, ut inquirant, & parent, tribuitur Jure naturæ. Quare cum Artaxerxes decreto ſuo poteſtatem Judæis faciat redeundi in Jeruſalem; redeuntibus autem natura tribuat jus habitandi; Artaxerxes perinde facit, ac ſi redeuntibus jus habitandi, atque adeo ædificandi tribueret. Qui enim vincula removet, quibus ambulare prohibeor, perinde facit, ac ſi vim, & facultatem ambulandi mihi impertiret.

Ius gentium eſt, *quo gentes humanæ utuntur* (*i*) per hoc autem differt a Jure naturali, quòd jus gentium ſolis hominibus, jus naturæ animantibus omnibus commune eſt. Porro Juris gentium *eſt ſedium occupatio*, *ædificatio*, *munitio &c.* (*k*) Itaque cum Artaxerxes decreto ſuo in patriam redire Judæis permittat, ædificandi autem, & muniendi facultas competat redeuntibus Iure gentium; iterum Artaxerxes perinde facit, ac ſi jus ædificandi, atque muniendi Iudæis daret.

Ad Jus gentium pertinet Poſtliminium: (*l*) Eſt autem poſtliminium *Jus*, *quo restituitur alicui res*, *quam per captivitatem amiſerat* (*m*) Hinc Concilium Hiſpalenſe 2. (*n*) dicit: *Per legem mundialem ijs*, *quos barbarica feritas captiva neceſſitate tranſuexit*, *poſtli-*

(*i*) *l. Iuri operam. ff. de Iuſt. & Iure.*

(*k*) *Can. Ius gentiū. Diſtinct. 1.*

(*l*) *Can. Ius gentium. Diſt. 1.*

(*m*) *Gloſſa ibidem.*

(*n*) *16. q. 3. Can. Prima actione.*

poſtliminio revertentibus redditur antiqua poſſeſſio. Igitur cum Artaxerxes decreto ſuo Judæis captivis redire permittat,& redeuntibus poſtliminio liceat habitationem, quam per captivitatem amiſerant, recuperare; tertio hoc titulo Artaxerxes perinde facit, ac ſi redeuntibus habitandi, atque adeo ædificandi jus largiretur.

CAPUT VIGESIMUMTERTIUM

Oſtenditur idem Judæis licuiſſe ex Iure Civili.

CIvile Ius eſt,quod quiſq;populus,vel quæq; civitas ſibi proprii divina,humanaq;cauſa conſtituit. (o) Cum ergo Artaxerxes Judæis redeuntibus reddat civitatem: *A me decretum eſt*, inquit, *ut cuicumque placuerit in regno meo de populo Iſrael, & de Sacerdotibus ejus,& de Levitis ire in Ieruſalem,tecum vadat*: & conſequenter reddat Jus civium; ædificatio autem domorum,ac mœnium maximè ad civitatem faciat; imò verò hoc ipſum ædificium *Civitas* nuncupetur; in decreto Artaxerxis facultatem ædificandi jure civili contineri dicendum eſt.

(o) *Can. Ius Civile. Diſt. prim.*

Rurſus in Digeſtis ſub titulo *de Regulis Iuris* habetur hæc Regula, quæ numero eſt vigeſimaprima: *Non debet cui plus licet, quod*

minus

minus eſt non licere. Ex ea autem nos Regula ſic colligimus:decreto Artaxerxis conceditur Iudæis Αυτονομία, facultas videlicet vivendi legibus proprijs, adeoque, eo ſtante decreto, legibus proprijs vivere Iudæis licet: *Miſſus es*, inquit, *ut viſites Iudæam*, & *Ieruſalem in lege Dei tui*, *quæ eſt in manu tua*: Ad hæc conceditur facultas exercendi Iudicia; adeoque licet Iudæis cauſas cognoſcere, atque jus reddere: *Conſtitue judices*, & *præſides*, *ut judicent omni populo*: Denique conceditur jus gladij, ſive facultas animadvertendi in facinoroſos, adeoque Iudæis licet judicium ſanguinis exercere: *Et omnis*, *qui non fecerit legem Dei tui*, & *legem regis diligenter*, *judicium erit de eo*, *ſive in mortem* &c. Sed quòd Iudæis hæc omnia liceant multò eſt ampliùs, quàm quòd liceat domos, & mœnia ædificare: ergo ex decreto Artaxerxis multò magis licere Iudæis domos, ac mœnia ædificare ſtatuendum eſt.

Rurſus ſic: cui permittitur finis, permittuntur conſequenter ea, quę ſunt ad finem: ſed Iudæis, ex decreto Artaxerxis, permittitur redire in Ieruſalem, & habitare: ergo permittuntur ea, quæ faciunt ad habitandum, adeoque permittitur ædificare.

CAPUT

CAPUT VIGESIMUMQUARTUM

Idem licuiſſe Judæis ex Iure Divino.

QVia verò quolibet ſive naturali jure, ſive gentium, ſive civili potius eſt jus Divinum; ex jure Divino id ipſum, quod agimus,eſt confirmandum. Porro jus Divinum antiquitus Iudæis traditum quinque libris Moyſis continetur, qui Hebraicè תורה *torà*, ideſt, *Lex* nuncupantur. In lege igitur Num.33. v.50. ſic habetur: *Locutus eſt Dominus ad Moyſen: Præcipe filijs Iſrael, & dic ad eos. Quando tranſieritis Iordanem, intrantes terram Chanaan, diſperdite cunctos habitatores terræ illius: confringite titulos, & ſtatuas comminuite, atque omnia excelſa vaſtate, mundantes terram, & habitantes in ea: ego enim dedi vobis illam in poſſeſſionem, quam dividetis vobis ſorte.*

Jam verò ex allegato Textu ſic licet arguere: terram Chanaan inhabitare, atque adeo in ea, ubi opus fuerit, ædificare Iudæis permittitur lege Divina: Sed Artaxerxes decreto ſuo legis Divinæ ſervandæ pleniſſimam poteſtatem, per Eſdram, Iudæis facit: *Miſſus es*, inquit, *ut viſites Iudæam*, *& Ie-*

CAPUT VIGESIMUMSEXTUM

Facultatem ædificandi in decreto Artaxerxis non fuiſſe exprimendam.

Cum tam multiplici jure, atque titulo Jeroſolymæ ædificandæ facultas in decreto Artaxerxis implicitè, ut oſtendimus, contineretur; quiſpiam fortaſſe interroget, cur ea facultas ab Artaxerxe expreſſa non fuerit? Reſpondemus, hac ipſa de cauſa nimirum expreſſam non eſſe, quòd in eo decreto multiplici jure, atque titulo implicitè contineretur. Jura enim clamant (r) *Expreſſionem eorum, quę tacitè inſunt, nihil operari*, ideſt, *inanem atque irritam eſſe*. Quare nos potiori jure interroganti reponimus, cur ab Artaxerxe ea facultas exprimeretur? Facultatem proinde, cujus exprimendæ ratio nulla eſſet, perperam exprimeret Artaxerxes: ſi enim verborum ſuperfluitas viri prudentis Reſponſum dedecet, quantò dedecebit magis Decretum Principis.

(r) *l. Cornelius. ff. de Hęred. inſtituen. ibique Bartolus. l. Hęc verba. ff. de Legatis primo.*

Atque hinc ſcilicet factum crediderim, ut eam facultatem Eſdras ab Artaxerxe minimè poſtulaverit. Et ſanè cum de illo dicatur (s) *Dedit ei rex ſecundum manum Domini Dei ejus ſuper eum, omnem petitionem ejus*; cum-

(s) 1. *Eſdr.* 7. 6.

cumque ædificandi facultas redeuntibus in civitatem, a Chaldæis olim everſam, nec dum reſtitutam, eſſet perneceſſaria; facultatem hujuſmodi, ſi poſtulare ſuperfluum non eſſet, Eſdras utique poſtularet. Sed *Superfluum eſt precibus poſtulare, quod jam legibus permiſſum eſt* (t).

(t) *l. Nemo in poſterum. Cod. de Theſauris.*

At quare leges externas in ſubſidium vocamus; quando lex ipſa Divina luculentum nobis rei hujus exemplum in Cyri decreto ſuppeditat? Quid eſt enim quod Ieroſolymæ ædificatio Cyro tribuitur, dum dicitur (u) *Ipſe ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet*: cum tamen in eo decreto, quod Capite 15. retulimus, de Ieroſolyma ædificanda nulla mentio fiat? niſi quia decreto, quo Babylonica captivitas ſolvitur, & populus in Iudæam redire permittitur, Ieroſolymæ ædificandæ tacita facultas continetur. Quid eſt autem, quod facultas hujuſmodi non exprimitur? niſi quia, quod tacitè in decreto continetur, Cyrus exprimere irritum cenſuit. Quemadmodum ergo irritum eſſet in decreto exprimere facultatem ſeminandi, metendi, plantandi hortos, colendi vineas &c. ſimiliter de ædificandi facultate ſtatuendum eſt. Semel enim permiſſo fine, ſatis ſuperque permiſſa intelliguntur & ea, quæ ſunt ad finem. Fixum ergo

(u) *Iſa. 45. v. 13.*

na; aliud ex decreto Principis in terra ſua.

Huc accedunt donaria, quæ miſit Artaxerxes, tanto digna Principe, per manum Eſdræ in templum Domini inferenda: eo enim præſertim nomine Eſdras mittebatur: *Miſſus es*, inquit v. 15. *Ut viſites Judæam, & Jeruſalem in lege Dei tui, quæ eſt in manu tua: & ut feras argentum, & aurum, quod rex, & conſiliatores ejus ſponte obtulerunt Deo Iſrael, cujus in Ieruſalem tabernaculum eſt.*

Accedunt ex fiſco regio largitiones ampliſſimæ: *Ego Artaxerxes rex ſtatui*, inquit, v. 21. *atque decrevi omnibus cuſtodibus arcæ publicæ, ut quodcumque petierit a vobis Eſdras Sacerdos abſque mora detis, uſque ad argenti talenta centum, & uſque ad frumenti coros centum, & uſque ad vini batos centum, & uſque ad batos olei centum, ſal verò abſque menſura. Corus*, inquit Hieronymus (f) 30. *habet modios tam in aridis ſpeciebus, quàm in liquentibus, Batus autem decima pars eſt Cori*. Talentum porro (ut tradit Menochius hoc loco) tria millia Siclorum; Siclus verò quatuor Hiſpanicos regales continet. Ex quibus patet, quantam pecuniæ vim largitiones hujuſmodi abſorberent: quas quidem largitiones fuiſſe quotannis iterandas Gaſpar San-

(f) *In cap. 45. Ezech.*

Sanctius, & Nicolaus Lombardus in loci hujus expoſitione veroſimilius arbitrantur. Id quod etiam ex illis decreti verbis videtur colligi, v. 21. *Ut quodcumque petierit a vobis Eſdras Sacerdos Scriba Dei cæli, abſque mora detis*: & rurſus ex illis, v. 23. *Omne, quod ad ritum Dei cæli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cæli*: quibus verbis ſatis inſinuat Sacer Hiſtoricus nec unica largitione rem definiri, nec uno anno liberalitatem Principis limitari.

Supereſt jam ut in decreto eodem characterem alterum, quo initium Hebdomadum ab Angelo deſignatur, ideſt, ולבנות ירושלם *velibnòth Jeruſcalàim*, & ad ædificandum Jeruſalem, ineſſe oſtendamus.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM

Decreto Artaxerxis facultatem ædificandæ Ieruſalem contineri.

CIvitatis ædificio non ſolùm domos, & mœnia, ſed etiam cives, ac leges comprehendi cap. 10. & ſequentibus ſatis oſtendimus. Jam verò Jeroſolymæ utroque modo acceptæ ædificationem, ſive reſtitutionem Artaxerxis decreto contineri, atque adeo characterem alterum illi competere, videlicet ולבנות ירושלם *velibnòth Jeruſcalàim*, *Et ad ædificandum Jeruſalem*, in præſenti affirmamus: de Ieruſalem autem accepta pro civibus, ac legibus hoc in capite agemus: de eadem accepta pro domibus, ac mœnibus in ſubſequentibus.

Et prior quidem pars aſſertionis ita planè, atque dilucidè ex dictis deſcendit, ut nullam ulteriorem expoſcere probationem videatur. Cum enim Artaxerxes decreto ſuo Iudæis redire permiſerit: *A me decretum eſt*, inquit v. 13. *ut cuicumque placuerit in regno meo de populo Iſrael, & de Sacerdotibus ejus, & de Levitis ire in Jeruſalem, tecum vadat*: redeuntibus autem Αυτονομίαν, ideſt, leges proprias reſtituerit: *A facie enim regis,*

& ſeptem

Digitized by Google

& ſeptem conſiliatorum ejus miſſus es, inquit v. 14. *ut viſites Judæam, & Ieruſalem in lege Dei tui, quæ eſt in manu tua*; ex duplici hoc titulo, & ſi cæteri deeſſent, ſatis evincitur civitatem Ieruſalem, quod ad cives, atque leges attinet, decreto Artaxerxis fuiſſe reſtitutam. Quantò magis autem id evincetur, ſi duplici huic titulo cæteros addas, quos expendimus capite præcedenti. Ut ergo aſſertionis partem alteram, quæ in dubium a multis vocatur, atque adeo eſt controverſa, oſtendamus, ſit

CAPUT VIGESIMUMSECUNDUM

Stante decreto Artaxerxis domos etiam, & mœnia Ieroſolymæ ædificare ex Iure multiplici Iudæis licuiſſe, & primo ex Iure Naturæ, & Iure Gentium.

N*Aturale jus eſt, quod natura omnia animalia docuit* (g) De Iure hoc differens Tullius (h) ait: *Principiò generi animantium omni eſt natura tributum, ut ſe, vitam, corpuſque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur, omniaque, quæcumque ad vivendum ſint neceſſaria, inquirat, & paret, ut paſtum, ut latibula, ut alia ejuſdem generis.* Itaque

(g) *l. Iuri operam. ff. de Iuſtitia, & jure.*
(h) *Lib. 1. Offic.*

Digitized by Google

Itaque animantibus omnibus *latibula*, ideſt, *habitationem*, ut inquirant, & parent, tribuitur Jure naturæ. Quare cum Artaxerxes decreto ſuo poteſtatem Judæis faciat redeundi in Jeruſalem; redeuntibus autem natura tribuat jus habitandi; Artaxerxes perinde facit, ac ſi redeuntibus jus habitandi, atque adeo ædificandi tribueret. Qui enim vincula removet, quibus ambulare prohibeor, perinde facit, ac ſi vim, & facultatem ambulandi mihi impertiret.

Ius gentium eſt, *quo gentes humanæ utuntur* (*i*) per hoc autem differt a Jure naturali, quòd jus gentium ſolis hominibus, jus naturæ animantibus omnibus commune eſt. Porro Juris gentium *eſt ſedium occupatio*, *ædificatio*, *munitio &c.* (*k*) Itaque cum Artaxerxes decreto ſuo in patriam redire Judæis permittat, ædificandi autem, & muniendi facultas competat redeuntibus Iure gentium; iterum Artaxerxes perinde facit, ac ſi jus ædificandi, atque muniendi Iudæis daret.

Ad Jus gentium pertinet Poſtliminium: (*l*) Eſt autem poſtliminium *Jus*, *quo reſtituitur alicui res*, *quam per captivitatem amiſerat* (*m*) Hinc Concilium Hiſpalenſe 2. (*n*) dicit: *Per legem mundialem iis*, *quos barbarica feritas captiva neceſſitate tranſuexit*, *poſtli-*

(*i*) *l. Iuri operam. ff. de Iuſt. & Iure.*

(*k*) *Can. Ius gentiũ. Diſtinct.* 1.

(*l*) *Can. Ius gentium. Diſt.* 1.

(*m*) *Gloſſa ibidem.*

(*n*) 16. *q.* 3. *Can. Prima actione.*

poſtliminio revertentibus redditur antiqua poſſeſſio. Igitur cum Artaxerxes decreto ſuo Judæis captivis redire permittat,& redeuntibus poſtliminio liceat habitationem, quam per captivitatem amiſerant, recuperare; tertio hoc titulo Artaxerxes perinde facit, ac ſi redeuntibus habitandi, atque adeo ædificandi jus largiretur.

CAPUT VIGESIMUMTERTIUM

Oſtenditur idem Judæis licuiſſe ex Iure Civili.

C*ivile Ius eſt,quod quiſq;populus,vel quæq; civitas ſibi propriũ divina,humanaq;cauſa conſtituit.* (o) Cum ergo Artaxerxes Judæis redeuntibus reddat civitatem: *A me decretum eſt*, inquit, *ut cuicumque placuerit in regno meo de populo Iſrael, & de Sacerdotibus ejus,& de Levitis ire in Ieruſalem,tecum vadat*: & conſequenter reddat Jus civium; ædificatio autem domorum,ac mœnium maximè ad civitatem faciat; imò verò hoc ipſum ædificium *Civitas* nuncupetur; in decreto Artaxerxis facultatem ædificandi jure civili contineri dicendum eſt.

(o) *Can. Ius Civile. Diſt. prim.*

Rurſus in Digeſtis ſub titulo *de Regulis Iuris* habetur hæc Regula, quæ numero eſt vigeſimaprima: *Non debet cui plus licet, quod*

minus eſt non licere. Ex ea autem nos Regula ſic colligimus: decreto Artaxerxis conceditur Iudæis Αὐτονομία, facultas videlicet vivendi legibus proprijs, adeoque, eo ſtante decreto, legibus proprijs vivere Iudæis licet: *Miſſus es*, inquit, *ut viſites Iudæam, & Ieruſalem in lege Dei tui, quæ eſt in manu tua*: Ad hæc conceditur facultas exercendi Iudicia; adeoque licet Iudæis cauſas cognoſcere, atque jus reddere: *Conſtitue judices, & præſides, ut judicent omni populo*: Denique conceditur jus gladij, ſive facultas animadvertendi in facinoroſos, adeoque Iudæis licet judicium ſanguinis exercere: *Et omnis, qui non fecerit legem Dei tui, & legem regis diligenter, judicium erit de eo, ſive in mortem &c.* Sed quòd Iudæis hæc omnia liceant multò eſt ampliùs, quàm quòd liceat domos, & mœnia ædificare: ergo ex decreto Artaxerxis multò magis licere Iudæis domos, ac mœnia ædificare ſtatuendum eſt.

Rurſus ſic: cui permittitur finis, permittuntur conſequenter ea, quę ſunt ad finem: ſed Iudæis, ex decreto Artaxerxis, permittitur redire in Ieruſalem, & habitare: ergo permittuntur ea, quæ faciunt ad habitandum, adeoque permittitur ædificare.

CAPUT

CAPUT VIGESIMUMQUARTUM

Idem licuiſſe Judæis ex Iure Divino.

QVia verò quolibet ſive naturali jure, ſive gentium, ſive civili potius eſt jus Divinum; ex jure Divino id ipſum, quod agimus, eſt confirmandum. Porro jus Divinum antiquitus Iudæis traditum quinque libris Moyſis continetur, qui Hebraicè תורה *torà*, ideſt, *Lex* nuncupantur. In lege igitur Num. 33. v. 50. ſic habetur: *Locutus eſt Dominus ad Moyſen: Præcipe filijs Iſrael, & dic ad eos. Quando tranſieritis Iordanem, intrantes terram Chanaan, diſperdite cunctos habitatores terræ illius: confringite titulos, & ſtatuas comminuite, atque omnia excelſa vaſtate, mundantes terram, & habitantes in ea: ego enim dedi vobis illam in poſſeſſionem, quam dividetis vobis ſorte.*

Jam verò ex allegato Textu ſic licet arguere: terram Chanaan inhabitare, atque adeo in ea, ubi opus fuerit, ædificare Iudæis permittitur lege Divina: Sed Artaxerxes decreto ſuo legis Divinæ ſervandæ pleniſſimam poteſtatem, per Eſdram, Iudæis facit: *Miſſus es*, inquit, *ut viſites Iudæam*, *& Ie-*

Digitized by Google

& Ieruſalem in lege Dei tui, quę eſt in manu tua: Igitur, eo ſtante decreto, lege Divina licet Iudæis in terra Chanaan, ideſt, in Judæa, cum Iudææ urbes omnes, tum Ieruſalem in primis, quippe quæ Metropolis eſſet, & Dei templum contineret, ædificare.

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM

Stante decreto Artaxerxis Ieruſalem ædificare non permiſſum modò Iudæis jure Divino fuiſſe, verum etiam præceptum.

SEd parum diximus, cum diximus, ſtante Artaxerxis decreto *Permitti*, dicendum fuerat *Præcipi* Judæis Jeruſalem ædificare jure Divino: præceptum enim continent verba allegata: *Præcipe filiis Iſrael, & dic ad eos &c.* Iubentur itaque Iſraelitæ præcepto Divino ingredi terram Chanaan, diſperdere cunctos habitatores terræ illius, eamque mundare, & inhabitare: & conſequenter in ea (ut humano modo habitent) ubi opus fuerit, ædificare.

Quod ſi præcepti hujus rationem libeat indagare, eam in ſacris Literis duplicem, & alteram *A priori*, ut cum Scholaſticis loquamur, alteram *A poſteriori* reperiemus. *A priori* quidem, quia cum Deus jure jurando

rando ſpopondiſſet terram Chananæorum Abrahamo, atque ipſius ſemini ſe olim daturnm in poſſeſſionem Gen. 22. v. 16. *Per me metipſum juravi, dicit Dominus: quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo unigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & velut arenam, quæ eſt in litore maris: poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum*: Cumque juramentum hujuſmodi impleri non poſſet, niſi terram eamdem filij Iſrael acquirerent, & poſſiderent; meritò ejus aquiſitio, atque poſſeſſio ijſdem fuerat præcipienda. *A poſteriori* autem, aquiſitio enim, atque poſſeſſio terræ Chanaan,& terreni Regni filijs Iſrael repromiſſi Regni cæleſtis,& Terræ viventium promiſſæ nobis, qui (*p*) *Promiſſionis filij* ſumus,acquiſitionem,poſſeſſionemque,Apoſtolo teſte, præſignabat: nam *Omnia in figura contingebant illis*. (*q*) Itaque, ut figurato figura reſponderet, congruum fuit, ut, qua ratione nos Terram viventium,& cæleſte Regnum adire, & poſſidere præcipimur; eadem ipſi ratione ad terram Chanaan, Regnumque terrenum adeundum, ac poſſidendum præcepto adigerentur.

(*p*) *Roman.* 9. 8.

(*q*) 1. *Corinth.* 10. 11.

CAPUT

CAPUT VIGESIMUMSEXTUM

Facultatem ædificandi in decreto Artaxerxis non fuiſſe exprimendam.

CUm tam multiplici jure, atque titulo Jeroſolymæ ædificandæ facultas in decreto Artaxerxis implicitè, ut oſtendimus, contineretur; quiſpiam fortaſſe interroget, cur ea facultas ab Artaxerxe expreſſa non fuerit? Reſpondemus, hac ipſa de cauſa nimirum expreſſam non eſſe, quòd in eo decreto multiplici jure, atque titulo implicitè contineretur. Jura enim clamant (r) *Expreſſionem eorum, quę tacitè inſunt, nihil operari*, ideſt, *inanem atque irritam eſſe*. Quare nos potiori jure interroganti reponimus, cur ab Artaxerxe ea facultas exprimeretur? Facultatem proinde, cujus exprimendæ ratio nulla eſſet, perperam exprimeret Artaxerxes: ſi enim verborum ſuperfluitas viri prudentis Reſponſum dedecet, quantò dedecebit magis Decretum Principis.

(r) *l. Cornelius. ff. de Hęred. inſtituen. ibique Bartolus. l. Hęc verba. ff. de Legatis primo.*

Atque hinc ſcilicet factum crediderim, ut eam facultatem Eſdras ab Artaxerxe minimè poſtulaverit. Et ſanè cum de illo dicatur (ſ) *Dedit ei rex ſecundum manum Domini Dei ejus ſuper eum, omnem petitionem ejus;* cum-

(ſ) 1. *Eſdr.* 7. 6.

cumque ædificandi facultas redeuntibus in civitatem,a Chaldæis olim everſam,nec dum reſtitutam, eſſet pernecеſſaria ; facultatem hujuſmodi,ſi poſtulare ſuperfluum non eſſet, Eſdras utique poſtularet. Sed *Superfluum eſt precibus poſtulare, quod jam legibus permiſſum eſt* (*t*).

(*t*) *l. Nemo in poſterum. Cod. de Theſauris.*

At quare leges externas in ſubſidium vocamus; quando lex ipſa Divina luculentum nobis rei hujus exemplum in Cyri decreto ſuppeditat? Quid eſt enim quod Ieroſolymæ ædificatio Cyro tribuitur, dum dicitur (*u*) *Ipſe ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet*: cum tamen in eo decreto, quod Capite 15. retulimus, de Ieroſolyma ædificanda nulla mentio fiat? niſi quia decreto, quo Babylonica captivitas ſolvitur, & populus in Iudæam redire permittitur, Ieroſolymæ ædificandæ tacita facultas continetur. Quid eſt autem, quod facultas hujuſmodi non exprimitur? niſi quia, quod tacitè in decreto continetur, Cyrus exprimere irritum cenſuit. Quemadmodum ergo irritum eſſet in decreto exprimere facultatem ſeminandi, metendi, plantandi hortos, colendi vineas &c. ſimiliter de ædificandi facultate ſtatuendum eſt. Semel enim permiſſo fine, ſatis ſuperque permiſſa intelliguntur & ea, quæ ſunt ad finem. Fixum ergo

(*u*) *Iſa. 45. v. 13.*

ergo maneat, ædificandæ Ieroſolymæ facultatem in decreto Artaxerxis non fuiſſe exprimendam, eo quod illam exprimere inane atque irritum eſſet.

Quod autem Artaxerxis decretum, ejuſque vim expendentes jus Romanum, quod Perſico jure multo eſt poſterius, allegaverimus, nemo jure mirabitur. Quoniam *Omnes leges*, ut inquit Angel. Doctor, (x) *in quantum participant de ratione recta, in tantum derivantur a lege æterna, & propter hoc Auguſtinus dicit in* 1. *de lib. arb. quod in temporali lege nihil eſt juſtum, ac legitimum, quod non ex lege æterna homines ſibi derivaverunt.* Quod ſi de ratione recta leges non participant, adeoque a lege æterna non derivantur, leges non ſunt. Ut enim ait idem Angelicus (y) ex eodem Augnſtino (z) *Non videtur eſſe lex, quæ juſta non fuerit: unde in quantum habet de juſtitia, in tantum habet de virtute legis.* Alludit uterque Sanctus Doctor ad illud Proverb. 8. 15. *Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt.*

(x) 1. 2. q. 93. *art.* 3.

(y) 1. 2. q. 95 *art.* 2.

(z) *Lib.* 1. *de lib. arb.*

CAPUT

CAPUT VIGESIMUMSEPTIMUM.

Iterum ex modò dictis infertur exitum Sermonis *ad annum 7. unicè referendum.*

EX modo dictis itaque ſic colligimus: Quandoquidem ædificium Ieruſalem illis verbis expreſſum: *Ab exitu ſermonis &c.* non modò domorum & mœnium, ſed etiam civium, ac legum reſtitutionem continet, *Exitus* hujuſmodi ad decretum illud ſpectare dicendus eſt, quod magis clarè, atque diſtinctè reſtitutionem utramque præſeferat: Atqui hujuſmodi eſt ſolum decretum ab Artaxerxe conditum anno 7. Ad decretum igitur anni ſeptimi exitus ſermonis unicè ſpectare dicendus eſt. Minor propoſitio oſtenditur, iterum comparando inter ſe tria decreta memorata. Nam Darij quidem decretum, cum ſolius Templi ædificationem reſpiciat, neutram civitatis reſtitutionem attingit. Cyri decretum, & ſi ædificium domorum ac mœnium implicitè includit, quatenus facultatem includit redeundi; tamen reſtitutionem civium ac legum expreſsè non continet. At decretum Artaxerxis, & hanc reſtitutionem apertiſſi-

mè continet, cum cives reducat, & reducibus Αὐτονομίαν reſtituat; & ædificium illud implicitè, & quidem multiplici titulo, ut oſtendimus, comprehendit. Igitur ad Artaxerxis decretum *Exitus Sermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem*, unicè eſt referendus.

Rurſus ſic: *Sermo*, ſive decretum, *ut iterum ædificetur Ieruſalem*, præceptum de tali ædificio videtur ſignificare: ſed præceptum de ædificio Ieruſalem in ſolo Artaxerxis decreto reperitur: nam decretum iſtud expreſsè præcipit reſtitui Αὐτονομίαν, atque adeo expreſsè præcipit reſtitutionem legum, ac civium: implicitè, atque indirectè præcipit ædificium domorum, ac mœnium: nihil autem tale præcipiunt decreta cætera: ergo *Exitus ſermonis, ut iterum ædificetur Ieruſalem*, ad Artaxerxis decretum unicè ſpectare dicendus eſt.

Atque hinc patet quanto meliùs rei Judaicæ conſuluerit Artaxerxes præcipiendo expreſsè reſtitui leges, prætermiſſa reſtitutione domorum ac mœnium; quàm ſi expreſsè reſtitui hæc præcepiſſet, prætermiſſa reſtitutione legum: ad legum enim reſtitutionem conſequitur reſtitutio domorum ac mœnium: ad hæc autem reſtituta, minimè eſt conſequens reſtitutio legum.

CAPUT

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM

Ab anno Artaxerxis 7. Hebdomadas eſſe inchoandas.

ASſertio pro titulo poſita, quæ quidem hujus totius diſſertationis ſcopus eſt, ac finis, ex hactenus dictis manifeſtè deſcendit: Sic enim arguimus: מן מצא דבר להשיב ולבנות ירושלם,*min motsà davàr lehaſcìb velibnòth Ieruſcalàim*: *Ab exitu ſermonis, ſive decreti ad redire faciendum, & ædificandum Ieruſalem* hebdomades, Angelo teſte, ſunt inchoandæ: atqui *Exitus* hujuſmodi quadrat in annum Artaxerxis Longimani ſeptimum: eo enim anno, per decretum ab Artaxerxe latum, poteſtas Iudaico populo facta eſt non ſolum redeundi (ad quod alludit το להשיב *lehaſcìb, ad redire faciendum*) ſed etiam civitatem Ieruſalem ædificandi (ad quod alludit τὸ ולבנות *velibnòth, ad ædificandum*) hi autem gemini charaſteres alteri ſive anno, ſive decreto non congruunt; ut oſtendimus: Ab anno igitur Artaxerxis 7. Hebdomadas eſſe inchoandas dicendum eſt.

Eſt autem operæ pretium, hoc loco, Danielem cum Eſdra, Prophetiam cum hiſto-

ria, & prædictionem cum eventu comparare, ut appareat quam pulchrè ſibi reſpondeant invicem, atque conſentiant. Quia enim decretum de Ieruſalem reſtituenda in libris Eſdræ, anno Artaxerxis 7. affigitur; ædificatio autem plateæ,& muri affigitur anno vigeſimo; idcirco utrumque datâ operâ diſtinxit Angelus, & priori loco decretum, poſteriori ædificationem retulit.

Quia rurſus decretum de Ieruſalem reſtituenda ita latum in Eſdra dicitur anno 7. ut plateæ & muri, eo anno, nulla mentio fiat; ita autem platea, & muri ædificati dicuntur anno 20. ut eo anno nulla fiat mentio decreti; idcirco Angelus ad decretum anno 7. latum alludens dicit: *Ab exitu ſermonis ad redire faciendum, & ædificandum Ieruſalem*: plateæ autem, & muri ædificationem ſilentio præterit: alludens deinde ad ædificationem plateæ, & muri factâ anno 20. dicit: *Ædificabitur platea, & muri*, & nullam decreti mentionem facit. Quare Prophetiâ cap. 9. Danielis eventum, qui in libris Eſdræ exhibetur, fuiſſe prædictum, atque hoc eventu prophetiam illam, in eo, quem diximus, ſenſu, fuiſſe completam, ex mira textus utriuſque conſpiratione, atque conſenſu perſpicuum eſt.

CAPUT

CAPUT VIGESIMUMNONUM

Hebraicam Rempublicam atque adeo Ieruſalem, per Eſdram, fuiſſe reſtitutam.

AT obijciat fortaſſe aliquis; ex dictis evinci quidem, Artaxerxis decreto Ieroſolymæ reſtituendæ, atque ædificandæ in ſenſu hactenus explicato, facultatem contineri; illud tamen decretum executioni mandatum, adeoque Hebraicam Rempublicam verè fuiſſe reſtitutam (id quod ad Eloquij Prophetici perfectionem, abſolutionemque requiri videtur) minimè evinci. Huic objectui ut occurramus, animadvertendum eſt, triplicem politiæ, ſive regiminis modum, poſt ingreſſum in terram promiſſionis, populum Iſraeliticum ſortitum fuiſſe. Primò enim a Moyſe uſque ad Samuelem Duces, ac Iudices: a Samuele deinde uſque ad Babylonicam captivitatem Reges: a captivitate denique ad Chriſtum, Sacerdotes Rempublicam adminiſtrarunt. Iam verò tertium regiminis modum, per Zorobabelem, & Ioſue Pontificem ſub Cyro inchoatum, per Eſdram ad perfectionem adductum, atque adeo Hebraicam Rempubli-

publicam ab eo reſtitutam fuiſſe contendimus; ſive ea, quæ ad Dei cultum, & religionem; ſive quæ ad mores civium, & vitæ inſtitutionem pertinent, conſideremus.

Quòd enim ad Dei cultum, & religionem pertinet, ipſe ingentem vim auri, & argenti, & vaſa quamplurima intulit in domum Domini 1. Eſd. cap. 8. a v. 24. — *Et ſeparavi*, inquit, *de principibus Sacerdotum duodecim Sarabiam, & Haſabiam, & cum eis de fratribus eorum decem: appendique eis argentum, & aurum, & vaſa conſecrata domùs Dei noſtri, quæ obtulerat Rex, & conſiliatores ejus, & principes ejus, univerſuſq; Iſrael eorum, qui inventi fuerant: & appendi in manibus eorum argenti talenta ſexcenta quinquaginta, & vaſa argentea centum, auri centum talenta, & crateres aureos viginti, qui habebant ſolidos millenos, & vaſa æris fulgentis optimi duo, pulchra ut aurum.*

Ad hæc ipſe obtinuit, ut quæcumque opus eſſent in domo Domini, darentur ex theſauro & fiſco Regis. 1. Eſdræ 7. 20. *Uſque ad argenti talenta centum &c.* quæ cap. 17. enumeravimus.

Ipſe Victimas, & Sacrificia rite inſtaurari, atque offerri curavit. 1. Eſdræ 8. 35. *Sed & qui venerant de captivitate*, inquit, *Filij tranſmigrationis obtulerunt holocautomiata*

mata Deo Iſrael, vitulos duodecim pro omni populo Iſrael, arietes nonaginta ſex, agnos ſeptuaginta ſeptem, hircos pro peccato duodecim: omnia in holocauſtum Domino.

Ipſe denique ſtatas ſolemnitates reſtituit, ſolemnitatem præſertim tabernaculorum (a) *Fecit ergo univerſa Eccleſia eorum, qui redjerant de captivitate*, Eſdra duce, *tabernacula, & habitaverunt in tabernaculis: Non enim fecerant a diebus Ioſue filij Nun taliter filij Iſrael uſque ad diem illum. Et fuit lætitia magna nimis.*

(a) 2. Eſd. 8. v. 17.

Jam ſi mores civium, & populi inſtitutionem ſpectes, ab Eſdra jejunium, & orationem redeuntibus indictam, ut viam rectam ſibi, & filijs ſuis precarentur, legimus (b) *Et prædicavi*, inquit, *ibi jejunium juxta fluvium Ahava, ut affligeremur coram Domino Deo noſtro, & peteremus ab eo viam rectam nobis, & filijs noſtris, univerſæque ſubſtantiæ noſtræ*. Ab ipſo lex Domini coram univerſa multitudine prolata, lecta, & declarata eſt, & populus ad eam cuſtodiendam excitatus (c) *Attulit ergo Eſdras Sacerdos legem coram multitudine virorum, & mulierum, cunctiſque qui poterant intelligere in die prima menſis ſeptimi. Et legit in eo* (libro) *apertè in platea, quæ erat ante portam aquarum, de mane uſque ad mediam*

(b) 1. Eſd. 8. v. 21.

(c) 2. Eſd. 8. v. 2.

diam diem, in conſpectu virorum, & mulierum, & ſapientium: & aures omnis populi erant erectæ ad librum.

Ad hæc, quod caput eſt, quodque optandum magis, quàm ſperandum videretur, uxores alienigenæ, quibuſcum filij Iſrael, dum degerent in captivitate, contra legem, quæ extat Exod.34. 16. connubia junxerant, Eſdræ operâ dimiſſæ ſunt. Erat id ſanè maximè optandum; ne ſcilicèt moribus, atque vitijs gentium, de quibus uxores duxerant, contaminari pergerent, & ad ipſarum Deos colendos (quod erat futurum certiſſimè) declinarent. *Non ingrediemini ad eas*, dicitur 3. Reg. 11. 2. *neque de illis ingredientur ad veſtras: certiſſimè enim avertent corda veſtra, ut ſequamini Deos earum.*

Hujuſmodi tamen dimiſſio, per quam tot eſſent communiones dirimendæ; tot filij, tot uxores, longa vitæ conſuetudine, arctoque benevolentiæ vinculo conjunctæ, penitus propulſandæ, & verſo in odium amore, pro hoſtibus computandæ; ſperari prudenter non poſſe videbantur.

Verumtamen amor legis, & timor pœnæ propoſitæ reluctantibus, potior fuit. Erat autem pœna propoſita (d) *Ut auferretur*

(d) 1. *Eſdr.* 10. 8.

tur univerſa ſubſtantia ejus, & ipſe abijceretur de cœtu tranſmigrationis. Itaque uxores alienigenæ, atque ij, qui de ipſis nati erant filij (Principes Sacerdotum, & Levitarum, & omnem Iſrael Eſdra adhortante, & adjurante) projecti ſunt: *Et reſpondit univerſa multitudo, dixitque voce magna: Iuxta verbum tuum ad nos, ſic fiat*. (e) Rei porro difficillimæ aſperitatem duæ circumſtantiæ mollire ex parte potuerunt, ut Salianus (f) advertit: primò uſitata, apud eam gentem, uxorum repudia: deinde, quòd alienigenas, ſi quidem ad Dei veri cultum converterentur, fortaſſe licuerit retinere. Quod reputans venerabilis Beda (g) Eſdram Chriſti Domini figuram fuiſſe meritò eſt arbitratus: *Ipſe autem typum Domini Salvatoris*, inquit, *manifeſtè tenuit, quod populum de captivitate Hieroſolymam revocavit, quod domum Domini majoribus donis ſublimavit, quod filios tranſmigrationis ab uxoribus caſtigavit externis*.

Eſdras denique ſacros Libros inſtauraſſe dicitur, unde etiam *Scriba legis Dei Cœli doctiſſimus* (h) nuncupatur. Quod non ita eſt intelligendum, quaſi libros hujuſmodi a Chaldæis unà cum templo, & civitate corruptos, & flammis abſumptos (quòd memoriter omnes noſſet) revocaverit, & de integrò reſtituerit: quemadmodum Au-

(e) 1. *Eſd*. 10. 12.

(f) *Ad annum Mundi* 3596. *n*. 27.

(g) *In Eſdr. lib*. 2 *cap* 14 *operum to*. 1.

(h) 1. *Eſdr*. 7. 12.

M ctor

ctor lib. 4. Eſdræ cap. 14. tradit; ſed ita, ut Scripturas Moyſis, & Prophetarum in varijs voluminibus deſcriptas, atque varia in loca diſperſas, & captivitatis tempore negligenter habitas, diligentiſſimè conquiſierit, & in unum quaſi corpus redegerit, atque ordinaverit, ut cenſet Bellarminus (*i*).

Huc etiam facit inducta per Eſdram in Libros ſacros novitas characterum, de qua Hieronymus (*k*) *Certum eſt*, inquit, *Eſdram Scribam, legiſque Doctorem, poſt captam Ieroſolymam, & inſtaurationem Templi ſub Zorobabel, alias literas reperiſſe, quibus nunc utimur; cum ad illud uſque tempus ijdem Samaritanorum, & Hebræorum characteres fuerint*: quæ quidem omnia non ſine Divino afflatu ab eo, circa canonicas Scripturas, perfecta eſſe in confeſſo eſt apud omnes. Quare cum in eo potiſſimùm Hebræorum natio nationibus cæteris antecelleret, eaqué fuerit præcipua utilitas circumciſionis, quòd *Credita ſunt illis Eloquia Dei*, ut teſtatur Apoſtolus (*l*) cumque regimen, & politia Hebraici populi Eloquijs ijſdem contineretur; vel hoc ſolo nomine, quòd ſacros Codices inſtauraverit, Hebraicam inſtauraſſe Rempublicam Eſdras dicendus eſſet.

(*i*) *De Scriptoribus Eccleſiaſt.*

(*k*) *In Prologo galeato. operum to. 3.*

(*l*) *Roman.* 3. 1.

Qua-

Quare cum domos etiam, & mœnia Ieroſolymæ ab anno Artaxerxis ſeptimo uſque ad vigeſimum inſtaurata a Judæis fuiſſe compertum ſit; cumque hujuſmodi inſtauratio, non ſecus ac ædificium anni vigeſimi (quo anno per Nehemiam (m) *Completus eſt murus vigeſimo quinto die menſis Elul*) ad decretum anni 7. ab Eſdra impetratum referri debeat; conſequens eſt civitatem Ieruſalem, tum quod ad leges, ac cives, tum quod ad mœnia, atque domos attinet, ab Eſdra fuiſſe reſtitutam.

(m) 2. Eſd. 6 15.

Porro mœnia atque domos Ieruſalem, ab anno Artaxerxis ſeptimo uſque ad vigeſimum, quoquo modo fuiſſe inſtaurata clarè colligitur ex lib. 2. Eſdræ cap. 2. ubi ſic habetur: *Et factum eſt in menſe Casleu, anno vigeſimo, & ego eram in Suſis caſtro. Et venit Hanani unus de fratribus meis, ipſe & viri ex Iuda: & interrogavi eos de Iudæis, qui remanſerant, & ſupererant de captivitate, & Ieruſalem. Et dixerunt mihi: qui remanſerunt & relicti ſunt de captivitate ibi in provincia, in afflictione magna ſunt, & in opprobrio: & murus Ieruſalem diſſipatus eſt, & portæ ejus combuſtæ ſunt igni. Cumque audiſſem verba hujuſcemodi ſedi, & flevi, & luxi diebus multis.* Quæ ſanè verba, cum everſionem recentem ſignificent, nec ad excidium, a

Chaldæis factum ante annos 100. & eò plures, referri poſſint; a Iudæis, qui ex captivitate, anno præſertim Artaxerxis 7. una cum Eſdra venerant, Ieruſalem quoquo modo fuiſſe inſtauratam videtur negari non poſſe. Sed audiamus Salianum, qui

(n) Ad annum Mundi 3638. n.9.

(n) allegatum textum expendens, *Hæc tanta triſtitia Nehemiæ*, inquit, *& fletus, & lamentatio ſatis oſtendunt, novam aliquam in his nuncijs cauſam triſtitiæ contigiſſe. Nam ſi nihil novi acciderat muro, & portis Ieruſalem a quo tempore Chaldæorum ignibus conflagraverat, ut Iunius Sectarius arbitratur, nihil erat, quòd nunc, auditis nuncijs magis lugeret, quàm antea: neque enim unus ignorabat, quæ Nabuchodonoſor jam pridem fecerat Ieroſolymis, neque ſolus Hieremiæ threnos flebilibus modis non decantarat. Pererius quoque* (o) *fatetur civitatem, quoquo modo, ante hoc tempus clauſam, ut* 1. *Eſdræ ſignificatur, vicinorum incurſiones ſuſtinere non potuiſſe, ſed ſæpe numero ab illis perruptam, incenſam, vaſtatam, atque habitatoribus vacuatam. Dicendum itaque videtur, juxta ea quæ ſeptimo Artaxerxis anno diximus* (p) *Iudæos partem aliquam murorum, tacito principum conſenſu, reſtauraſſe, & montem Sion inprimis: & templum circumdediſſe muris, ſuper antiqua fundamenta, rudi opere, reædifican-*

(o) In Daniel. lib. 10. q. 16.

(p) Ad annum Mundi 3596. n.41.

Digitized by Google

dificando, lapſanteſque adhuc parietinas fulciendo, adhibitis etiam portis idoneis locis: quæ quidem vicini populi, facta conjuratione, diruerint, huc illucque disjecerint, aditus multos ubique patefecerint, portas denique cum turrium tectis, & tabulatis incenderint. Quæ ubi Ieroſolymis facta ſunt, Iudæi miſerint Hanani cum ſocijs in Perſidem, qui de his apud Nehemiam lamentaretur, ut is, pro ſua apud Principem gratia remedium aliquod hiſce malis inveniret.

Eamdem ſententiam tuentur, præter relatum Pererium, Gaſpar Sanctius, Cornelius a Lapide, Nicolaus Lombardns, Menochius (q) alijque. Hujuſmodi autem inſtaurationem urbis Ieruſalem ad decretum anni 7. referendam eſſe ſatis patet ex ijs, quæ cap. 21. & ſequentibus dicta ſunt, ubi oſtendimus ædificandi facultatem eo in decreto multiplici titulo contineri. Quia tamen facultas pridem obtenta (ſive quod hoſtes Iudæorum ædificationi obſiſterent, ſive ob defectum rei pecuniariæ, veriùs utramque ob cauſam) ad exitum hactenus perducta non fuerat; atque adeo Ieruſalem ita, ut tutò, & commodè habitari poſſet, non fuerat ædificata; idcirco Artaxerxes anno régni ſui 20. Nehemiæ precibus exoratus, Nehemiam ipſum, ſubſidijs ad ædificandum neceſſarijs & (quod

(q) *In 1. Eſdr. 1.*

& (quod caput eſt) militibus inſtructum
(r) 2. *Eſd.*2. (*r*) miſit in Iudæam, iſque tali auxilio fretus ſupremam operi manum impoſuit.

Nec obſtat hactenus dictis quod habetur 2.Eſd.9. 36.*Ecce nosipſi hodie ſervi ſumus*: *& terra, quam dediſti patribus noſtris, ut comederent panem ejus, & quæ bona ſunt ejus, & nosipſi ſervi ſumus in ea*: quæ ſunt Nehemiæ verba prolata anno Artaxerxis 20. Per hæc enim ſignificatur tantummodo, Hebræos, quamvis ſedibus ſuis, atque legibus reſtitutos, ſub dominio fuiſſe regis Perſarum, eique tributum pendiſſe, quemadmodum Græcis deinde, atque Romanis pendere coacti ſunt. Quæ conditio, licet ſervitus dici poſſit, ſi Hebraicam Rempublicam ſub proprijs regibus poſitam ſpectes; ſi tamen ſpectes captivitatem Babylonicam, libertas veriùs, quàm ſervitus nuncupabitur.

CAPUT

CAPUT TRIGESIMUM

Hactenus dictis non obſtare diſtantiam 13. *annorum, quæ inter* Exitum ſermonis, *& ædificium anni* 20. *intercedit*.

DIximus hactenus, decreto anni 7. Artaxerxis, reſtitutionem legum, ac civium, atque ædificium pariter urbis includi. Huic autem dicto videtur repugnare diſtantia 13. annorum, quæ inter *Exitum ſermonis*, ſive decretun de ædificio latum anno Artaxerxis 7. & ædificationem mœnium factam anno vigeſimo, intercedit; quæ diſtantia major videtur, quàm, ut hoc decretum ad illud ædificium referri poſſit.

Reſpondemus, *Exitum ſermonis, ut iterum ædificetur Ieruſalem*, & ipſammet Ieroſolymæ ædificationem diligenter eſſe diſtinguenda: neque enim ab ædificatione, ſed ab *Exitu ſermonis, ut ædificetur Ieruſalem*, ut jam antea monuimus, Hebdomades ſunt inchoandæ. Quia Angelus non dixit: *Ab ædificatione Jeruſalem uſque ad Chriſtum ducem*, ſed dixit, *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Ieruſalem uſque ad Chriſtum ducem &c.*

Id circo

Digitized by Google

Idcirco autem ita dixit Angelus, ut initium Hebdomadum certo tempori affigeret, & exactè determinaret. Si enim dixiſſet: *Ab ædificatione Ieruſalem uſque ad Chriſtum ducem &c.* cum ædificatio hujuſmodi ſpatium, & latitudinem temporis ſecum ferat, & principium, medium, atque finem includat; dubitari meritò poſſet, utrum de principio, an de medio, vel fine ædificationis Angelus loqueretur: atque adeo Hebdomadum initium intra plures annos fluctuans, & indeterminatum relinqueretur.

Licet ergo concederemus, inter exitum ſermonis de ædificatione, & ædificationem ipſam annos 13. intercedere, vel eò plures; tamen nihil abſurdi concederemus: ſed neque ad hoc concedendum adigimur: quia dubitandum non eſt, ut diximus cap. præcedenti, ab anno Artaxerxis 7. (quo exijt decretum de Ieruſalem iterum ædificanda) uſque ad annum 20. domos, & mœnia urbis ab Iudæis reducibus fuiſſe inſtaurata. Itaque Nehemias anno 20. non tam ædificaſſe dicendus eſt, quàm *exædificaſſe*, ideſt, ædificium domorum, ac mœnium ab anno Artaxerxis 7. inchoatum abſolviſſe. Hujuſmodi autem abſolutionem ab Exitu ſermonis annis 13. diſtare abſurdum

dum non eſt ; quando abſolutio Templi, quæ contigit anno Darij 6. (s) a decreto de Templo ædificando, quod exijt anno Monarchiæ Cyri primo (t) diſtat annis 23. Computa annos Cyri 9. Cambyſis 8. Darij 6. & colliges annos 23.

(s) 1. *Eſdr.* 6. 15.

(t) 1. *Eſdr.* *cap.* 1.

CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM

Ex Hebraico textu totus verſus 25. capitis 9. dilucidatur.

UT autem, quæ dicta ſunt hactenus; certiùs conſtent, proderit totius verſûs 25. contextum ex Hebraico fonte de verbo ad verbum transferre, ubi ſic ſe habet: מן מצא דבר להשיב ולבנות ירושלם עד משיח נגיד שבועים שבעה ושבועים ששים ושנים תשוב ונבנתה רחוב וחרוץ ובצוק העתים׃ Quem priuſquam latinè reddamus, duo ſunt advertenda: primò voces illas שבועים שבעת ושבועים ששים ושנים *ſcabuhìm ſcibbà, veſcabuhìm ſciſsìm uſnàijm*, quæ per nominativum redduntur a vulgato Interprete, dum ait, *Hebdomades ſeptem*, & *hebdomades ſexaginta duæ erunt*, per alium quemvis caſum ſenſui congruentem, cum nomina apud Hebræos ſint indeclinabilia, æquè bene poſſe tranferri: Secundò vocem illam תשוב *taſcub*, quæ eſt tertia perſona

ſingu-

ſingularis fœminina futuri in *Kal* a radice שוב *ſcub*, non minùs *redibit*, ſeu *revertetur*, quàm *quieſcet*, ſive *habitabit*, exponi poſſe; radix enim שוב *ſcub* non ſolum *redire*, & *reverti*, verum etiam *quieſcere*, & *habitare* in Scripturis ſignificat. Cum enim hæ geminæ radices שוב *ſcub redivit*, & ישב *jaſcàb ſedit* voce vicinæ ſint, inde fit, ut verbum שׁוּב *ſcub* pro *quieſcere*, & *ſedere* exponatur interdum, quaſi *redire*, ut *ſedeas*, & *quieſcas*, ut in radice שוב *ſcub* Pagninus obſervat. Sic in Pſalmo 23. 6. legimus, ושבתי בבית יהוה לארך ימים *veſcàbthi bebèth Adbonài ledrecb jamìm*: *Et habitabo in domo Domini in longitudinem dierum. Job*.9.18. לא יתנני השב רוחי כי ישבעני ממרדים, *lo ittenèni haſcèb rubbì, ci jasbibàni mammerorìm*, ideſt: *Non concedit requieſcere ſpiritum meum, & implet me amaritudinibus*. Ezech. 35. 9. ועריך לא תשובנה *veburècba lo taſcòbna*. *Et civitates tuæ non habitabuntur*. *Nabum* 2. 2. שב יהוה את גאון יעקב בגאון ישראל *ſcub Adbonài eth guònIabacòb cigòn Iſraèl*. *Quieſcere fecit Dominus ſuperbiam Iabacob, ſicut ſuperbiam Iſrael.* Iſaiæ.30. 15. בשובה ונחת תושעון *beſcùba venàbbat tivvaſcèbun*. *In quiete, & requie ſalvi eritis*.

Hinc etiam aliquando contingit, ut altera ex his duabus radicibus, ponatur pro altera, ut 2. Reg. 15. 8, dum dicitur,

אם

אם ישוב ישבני יהוה ירושלם, *im jaſcòb jeſtibèni adhonài Ieruſcalàim* : *Si ad habitandum reduxerit me Dominus in Ieruſalem*. Nam juxta Hebraicum idiotiſmum, alterutrum erat dicendum, aut, *Si reducendo reduxerit me*; aut, *Si habitando me fecerit habitare*:Nunc autem dicit; *Si me Ieroſolymam reduxerit ad habitandum*, ut in radice ישב *jaſcab* memoratus Pagninus advertit.

His poſitis, verſus 25. ex Hebraico textu ſic reddi poterit — *Ab exitu ſermonis ad redire faciendum*; *ſive ad habitare faciendum*, & *ædificandum Ieruſalem*, *uſque ad Chriſtum ducem*, *hebdomadis ſeptem*, & *hebdomadis ſexaginta duabus redibit*, *ſive habitabit*, & *ædificabitur platea*, & *muri in anguſtia temporum*. Sic autem expoſita duplicem nobis ſenſum exhibebunt verba Prophetica: nec ſolùm ſignificabunt, ab exitu ſermonis de Ieruſalem redire, ſive habitare facienda, & ædificanda, uſque ad Chriſtum ducem fore hebdomadas ſeptem, & hebdomadas ſexaginta duas, ideſt, hebdomadas ſexaginta novem; ſed ſignificabunt præterea, Ieruſalem (populum ſcilicet) hebdomadis iiſdem ſexaginta novem in urbe futuram, & urbem ſic reſtitutam in ſua reſtitutione ſexaginta novem hebdomadis duraturam. Qui duplex ſenſus Propheticorum

verborum rei exitu comprobatur: Verè enim ab anno Artaxerxis 7. ante Chriſtum 457. uſque ad Chriſtum ducem (ideſt, uſque ad Chriſti Baptiſmum) ſunt hebdomades 69. ſive anni 483. contigit enim, juxta noſtram chronologiam, Baptiſmus hujuſmodi anno Æræ communis 26. ætatis Chriſti 30. ſi autem annos 26. addas annis 457. fient anni 483.

Uſque ad Chriſti Baptiſmum, inquam; in Baptiſmate enim Chriſtum Dominum a Patre Ducem publicè eſſe renunciatum per eas voces ([u]) *Hic eſt Filius meus dilectus*, communis eſt Interpretum, ac Patrum Sententia, ut infra oſtendemus.

(u) *Matth.* 3. 17.

Rurſus verè hebdomadis ijſdem 69. ſtetit Hebraica Reſpublica, jam Perſarum, jam Græcorum imperio ſubjecta, uſque ad Antiochum Epiphanem. Deinde, jugo Græcorum excuſſo, ſub proprijs ducibus Haſſamonæis, uſquedum Romani, rerum potiti, Haſſamonæorum Regnum ad Herodem Magnum, ſive Aſcalonitam tranſtulerunt. Poſt hæc autem ſub Herode ipſo, ejuſque filijs Archelao, & Antipa uſque ad Chriſtum Ducem, ideſt, uſque ad Chriſti Baptiſmum: Herodes enim, qui regnabat dum Chriſtus baptizaretur, quique decollavit Joannem, & ipſimet Chriſto illuſit, eſt Antipa Magni filius.

Digitized by Google

filius. Licet autem Hebraica reſpublica ſteterit etiam poſt Chriſtum ducem, ad annum uſque Veſpaſiani 2. Æræ communis. 70. Scriptura tamen durationis tempus ſolum determinat, uſque ad Chriſtum ducem, qui erat ſcopus hujus prophetiæ; tempus autem ulterioris durationis minimè excludit.

Eamdem expoſitionem recipit Theodoretus (x) ubi expendens verba illa: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt &c.* ſic habet, φησὶ τοίνυν ὁ Θεὸς πρὸς αὐτὸν διὰ τοῦ Ἀρχαγγέλου ὅτι τὴν δέησίν σου δεξάμενος καὶ οἰκοδομηθῆναι τὴν Ἱερουσαλὴμ συγχωρήσω, καὶ τὸν λαόν σου τῆς ἐπανόδου τυχεῖν κελεύσω, μετὰ δὲ τὴν τῆς Ἱερουσαλὴμ οἰκοδομίαν διαρκέσουσιν ἐπὶ τετρακόσια καὶ ἐννενήκοντα ἔτη κατὰ νόμον πολιτευόμενοι, ideſt: *Ait itaque Deus ad ipſum per Archangelum, tua admiſſa deprecatione concedam, ut Ieruſalem ædificetur, & populum tuum jubebo reditum in patriam conſequi. Poſt ipſius autem Ieroſolymæ ædificationem annis* 490. *Rempublicam ſecundum legem adminiſtrantes permanebunt.*

(x) *In Danielem lib.* 9.

Eamdem ſequitur Ioannes Funccius (y) ſic enim vertit — *Ab egreſſione verbi, ut rurſus inhabitetur, & ædificetur Ieroſolyma, quoad veniat Meſſias dux, hebdomadis ſeptem, & hebdomadis ſexaginta duabus inhabita-*

(y) *Ad annũ M.* 3505.

bitabitur, *& ædificata erunt collapſa ædificia plat earum in preſſura temporum*. Quem Auctorem quantumvis heterodoxum, pro expoſitione, quæ ſanæ doctrinæ, & Hebraico textui conſona eſt, allegare quid prohibet?

Ex hoc autem contextu, præſertim verò ex ſignificatione hujus vocis תשוב *taſcub* modò inſinuata, confirmatur doctrina decimi quarti capitis, ubi oſtendimus, vocem illam להשיב *lebaſcib*, quam per adverbium *Iterum* reddit Vulgatus Interpres, etiam per Verbum *Ad redire faciendum* verti poſſe ex Hebraico fonte. Cum enim hæ geminæ voces להשיב *lebaſcib*,& תשוב *taſcub* ſibi invicem correſpondeant, & ab eadem radice שוב *ſcub* deriventur; ſolumque differant, quod prima eſt in Conjugatione *Hiphil*, ſecunda in Conjugatione *Kal*, ſi ſecunda bene vertitur per verbum *redibit*, ſive *habitabit*, ut oſtendimus hactenus, bene ſimiliter reddetur prima, *ad redire*, ſive *ad habitare faciendum*: Radix enim, quæ in Kal ſimplicem actionem ſignificat, ut מסר *maſar tradidit*, in Hiphil ſignificat actionem mediante alia actione, המסיר *himſir fecit tradere*, quemadmoum ex Grammaticis regulis eſt manifeſtum.

Cæterum

Cæterum verba illa שבעים שבעה ושבועים ששים ושנים *ſcabubìm ſcibba veſcabubim ſciſſim uſcnaijm* bene fuiſſe per ablativum caſum expoſita, inde etiam confirmatur, quòd ea vox תשוב *taſcùb*, *revertetur*, ſive *habitabit* careat vau copulativo,. ſic enim ſcribitur (ושבעים שבעה ושבועים ששים ושנים (תשוב non autem ſic (ותשוב) adeoque ad verba præcedentia ושבועים ששים ושנים,*veſcabubìm ſciſsìm,uſcnaim* retrahenda, atque adnectenda omnino videtur: Si enim ab illis verbis disjungi, & cum voce ſequenti ונבנתה *venibnethà* conjungi deberet; tunc *vau* copulativum fuerat illi præfigendum, atque dicendum ותשוב ונבנתה *vetaſcùb venibnethà*, *& redibit*, *& ædificabitur*; præſertim cum vau aliquod ſupereſſe in textu Hebraico, quàm deeſſe proclivius ſit. Conſtat enim particulam hujuſmodi in ſacris Libris ſæpiſſime addi per Pleonaſmum, adeoque ſuperfluere, & redundare, ut apud Grammaticos, præſertim verò apud Pagninum (z) eſt exploratum.

Proinde cum ea vox תשוב *taſcùb* vocibus præcedentibus ושבועים ששים ושנים *veſcabubìm ſciſſim uſcnàim*, ut oſtendimus, jungi debeat; ijs autem jungi non poſſit, niſi voces eaſdem per ablativum caſum reddas, ac dicas *Hebdomadis ſeptem*, *& hebdomadis ſexaginta duabus redibit*, *ſive habitabit*;

(z) *Hebraic. Inſtitut. lib.* 1. *cap.*24.

bit; ſi enim per nominativum reddideris, ac dixeris *Hebdomades ſeptem*, & *hebdomades ſexaginta duæ redibit*, *ſive habitabit*, nullus eſt ſenſus; per ablativum caſum, non verò per nominativum eas eſſe reddendas dicendum eſt.

CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM.

Allata expoſitio confirmatur Syriaci, Arabici, Septuaginta, aliorumque Interpretum teſtimonio.

CUm allata expoſitione Hebraici textus, verſiones Syriaca, Arabica, & Græca concordant in eo præſertim, quod vocem utramque לְהָשִׁיב *lehaſcib* & תָּשׁוּב *taſcub*, per *Verbum* reddant; Syriaca enim ſic habet:

ܡܢ ܡܦܩܗ ܕܡܠܬܐ ܠܡܦܢܝܘ
ܘܠܡܒܢܝܗ ܠܐܘܪܫܠܡ ܘܠܡܫܝܚܐ
ܡܠܟܐ: ܫܒܘܥܐ ܫܒܥܐ
ܘܫܒܘܥܐ ܫܬܝܢ ܘܬܪܝܢ ܢܦܢܘܢ
ܘܢܒܢܐ ܠܐܘܪܫܠܡ ܫܘܩܝܗ ܘܫܘܪܝܗ
ܒܫܘܠܡ ܙܒܢܐ.

ideſt,

ideſt -- *Ab exitu ſermonis, ad redeundum, & ædificandum Ieruſalem, & ad adventum Chriſti regis hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta & duæ, redibit, & ædificabit Ieroſolymæ vicos ejus, & plateas ejus, uſque ad finem temporis.*

Arabica autem: فى مخرج الكلمه لكيما ترجع وتبنى اورشليم ولكيما ياتى المسيح الملك الى سوابيع سبعه وسوابيع اثنين وستين سابوع ترجع وتبنى اورشليم واسواقها واساطينها وبلاطها لتمام الزمان ۞ ideſt, *In exitu verbi, ut redeat, & ædificetur Ieruſalem, & ut veniat Chriſtus Rex, uſque ad hebdomadas ſeptem & hebdomadas duas & ſexaginta redibit, & ædificabitur Ieruſalem, & vici ejus, & firmamenta ejus, & plateæ ejus uſque ad conſummationem temporis.*

Græca denique: Ἀπὸ ἐξόδου λόγου τοῦ ἀποκριθῆναι, καὶ τοῦ οἰκοδομῆσαι Ἱερουσαλὴμ, ἕως χριστοῦ ἡγουμένου ἑβδομάδες ἑπτὰ, καὶ ἑβδομάδες ἑξήκοντα δύο. καὶ ἐπιστρέψει, καὶ οἰκοδομηθήσεται πλατεῖα, καὶ τεῖχος, καὶ ἐκκενωθήσονται οἱ καιροὶ, ideſt, *Ab exitu ſermonis ad reſpondendum, & ædifican-*

ſicandum Ieruſalem uſque ad Chriſtum Ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ, & revertetur, & ædificabitur platea, & murus, & evacuabuntur tempora.

Expoſitionem eamdem amplectitur Tertullianus (a) -- *Et ſcies*, inquit, *& perſpicies, & intelliges a profectione ſermonis, integrando, & reædificando Ieruſalem, uſque ad Chriſtum ducem hebdomadas ſexaginta duas, & dimidiam, & convertet, & ædificabitur in lætitiam, & convallationem, & innovabuntur tempora.*

(a) *Adverſus Judæos cap.* 8.

Ex recentioribus Pagninus, *Et ſcies, & intelliges, ab exitu ſermonis ad reverti faciendum, & ædificandum Ieruſalem, uſque ad Chriſtum ducem hebdomadæ ſeptem, & hebdomadæ ſexaginta duæ erunt, redibit, & ædificabitur platea, & muri, & in anguſtia temporum.*

Vatablus -- *Scies ergo, & intelliges, quod ab exitu ſermonis de reducendo populo, & ædificando Jeruſalem, uſque ad Chriſtum ducem hebdomadæ ſeptem, hebdomadæ ſexaginta duæ, & redibit, & ædificabitur platea, & murus, idque in anguſtia temporum.*

Hi ergo omnes Interpretes, quos etiam citavimus cap. 14. ut probaremus vocem

cem להשיב *lebaſcib* reddi per *Verbum* poſſe, dum vocem תשוב *taſcub* ſimiliter per *Verbum* reddunt, veritati ibi propugnatæ iterum ſuffragium ferunt.

CAPUT TRIGESIMUM TERTIUM

Confirmatur noſtra ſententia ex anno Sabbathico.

ANnorum hebdomadas anno Sabbathico claudere ſolemne Iudæis fuit: Sic enim præcipitur Levit. 25. 2. — *Quando ingreſſi fueritis terram, quam ego dabo vobis, Sabbathizes Sabbathum Domino: Sex annis ſeres agrum tuum, & ſex annis putabis vineam tuam, colligeſque fructus ejus; ſeptimo autem anno Sabbathum erit terræ requietionis Domini, agrum non ſeres, & vineam non putabis*. Ex hac ergo Sabbathizandi ratione divinitus Iudæis præſcripta, fit integrum nobis non eſſe alium in Hebraica annorum hebdomada ordinem, aut aliud principium, vel finem ſtatuere, quàm in Hebraica chronologia, per annos Sabbathicos digeſta, reperiatur. Qua ratione, nec in hebdomada dierum integrum nobis eſt aliam, præter Sabbathum, diem ſeptimam facere, aut aliam, præter Dominicam, facere diem pri-

mam. Quam methodum, in ſeptuaginta hebdomadum calculo ſervandam, quòd minime adverterint Auctores non pauci, a vero aberrarunt. Quos inter Iacobus Grandamicus in Quæſtione Evangel. de die ſupremo, & natali Chriſti lib. 1. hunc Capiti 3. præfigit titulum *Paſſus eſt Chriſtus in anno medio 70. hebdomadis a Daniele morti Meſſiæ deſignatæ*; Cum tamen annus Æræ communis 33. cui Chriſti Domini mortem hic Auctor affigit, non medius annus hebdomadæ fuerit, ſed extremus: eſt enim, ut ex ordine annorum Sabbathicorum infra conſtabit, annus Sabbathicus.

Ut ergo hac methodo ſervata, ſeptuaginta Hebdomadas computemus, totidemque adeo annos Sabbathicos, perpetuo ductos ordine colligamus, aliquis minimè dubius nobis annus Sabbaticus ſtatuendus eſt, ad quem, velut ad regulam, numerando, cæteros exigamus. Annum hujuſmodi nobis ſuppeditat liber primus Machabæorum cap. 6. v. 49. ubi ſic habetur: *Et fecit* (Antiochus) *pacem cum his, qui erant in Bethſura, & exierunt de civitate, quia non erant eis ibi alimenta concluſis, quia Sabbatha erant terræ*, ideſt, erat annus Sabbathicus, & v. 53. — *Eſcæ non erant in civitate, eo quòd ſeptimus annus eſſet*. Conſtat autem

autem ex libro 2. Machabæorum cap. 13. v. 1. hunc ipſum annum fuiſſe regni Græcorum, ideſt Æræ Seleucidarum 149. qui, ut obſervat noſter Petavius (*b*), inijt ab autumno anni 590. Urb. conditæ, Periodi Iulianæ 4550. ante Chriſtum 164. Duo alij Sabbathici reperiuntur apud Ioſephum. Primus lib. 13. Antiquit. cap. 16. atque is eſt, quo Simon, Hyrcani Pater, Ptolemæi generi ſui inſidijs, in Caſtello Dagon, interfectus eſt, menſe undecimo, qui eſt Sabath. Hic annus ut colligitur ex lib. 1. Machab. cap. 16. v. 14. eſt regni Græcorum 177. cœpitque ab Autumno anni Urbis cond. 618. Period. Iul. 4578. ante Chriſtum 136. Alter libro 14. cap. 28. eſt, quo Ieroſolyma ab Herode, & Soſio capta ſunt, Agrippa, & Caninio Conſ. ideſt, anno Urb. cond. 717. Period. Iul. 4677. ante Chriſtum 37. Quare ab autumno anni præcedentis 716. ante Chriſtum 38. inijt annus Sabbathicus.

(*b*) *De Doctrin. Temp. lib. 9. cap. 26*

Ex intervallo autem tres inter annos hujuſmodi Sabbathicos intercepto rurſus evincitur id, quod probatum eſt Cap. 4. ideſt, per annos ſolares in Scripturis tempora computari: Nam ab anno 590. Urb. cond, ad annum 618. anni Solares 28. ideſt, hebdomades 4. Ab anno autem 618. ad annum

num 716.anni Solares 98., ideſt, hebdomades 14. numerantur.

His ita conſtitutis; Sabbathicorum annorum ſeriem, ſurſum, & deorſum versùs percurrendo, Sabbathici ab autumno fuiſſe deprehenduntur; ſurſum versùs quidem, annus ante Chriſtum 458. urbis cond. 296. Period. Iul. 4256. quo anno inijt annus Artaxerxis 7. deorſum versùs autem annus Æræ communis 33. Urb. cond. 786. Period. Iul. 4746. qui eſt annus a Chriſti morte 4. atque hi duo termini exactè annos 490. ideſt Hebdomadas 70. claudunt, annis totidem ſeptimis, ſive Sabbathicis terminatas: ita tamen, ut annus 458. quippe qui ad ſuperiorem hebdomadam ſpectat, extra numerum habeatur: atque adeo annus ante Chriſtum 457. (quo anno Artaxerxis annus ſeptimus deſijt) ab autumno, ideſt a menſe 7. Tiſrì, ſive Septembri, primæ hebdomadæ primus fuerit; annus verò Æræ communis 33. ſimiliter a Tiſrì inchoatus, ultimus fuerit hebdomadæ ſeptuageſimæ.

Atque hinc occurritur argumento, quod contra nos adducit Salmeron (c) ubi hanc anni ſeptimi ſententiam multis exagitat, quæ longum eſſet referre, ac poſtremò contendit, præciſum in illa annorum numerum non

(c) *In Evang. Hiſt. tom. 1. Prologem 43 de 70. Hebdom.*

Digitized by Google

non haberi, idque probat ex Euſebio Cæſarienſe, qui in Chronico ſuo miſſionem Eſdræ in Ieruſalem, anno ſexto Artaxerxis collocat: *Atque id non temerè*, inquit, *quia cum liber Eſdræ tradat, hanc profectionem* (ex Babylone redeuntium) *factam primo die menſis primi anni 7. Artaxerxis, non poterat Eſdras Iudæos per diverſas Chaldææ, Perſiæ, & Mediæ civitates diſperſos in unum ita congregare, niſi eſſent per aliquot menſes antea evocati, & ad reditum primo die menſis primi auſpicandum accincti. Ex quo videtur, quod anno 6. Artaxerxis fuerit Exitus ille ſermonis, quem prædixit Daniel de reditu populi Iſrael ad reædificandam urbem; ut inde propterea ſolidè colligamus, non ſolum ſeptimum annum, ſed etiam ſextum Artaxerxis, qui fuit ultimus Olympiadis octogeſimæ, eſſe connumerandum*. Unde concludit neceſſariò dicendum, hanc Prophetiam impletam eſſe anno 20. quo Nehemias ad reſtaurandam, & muris cingendam Ieroſolymam miſſus eſt. Idque etiam ex eo confirmat, quod dicitur in Prophetia, *Ut iterum ædificetur. Quia implicitè*, inquit, *data erat licentia per Cyrum, & Darium conſtruendæ civitatis: at per Artaxerxem apertè & manifeſtè ad hoc mittentem Nehemiam: propterea dixit, iterum ædificetur*.

Reſpon-

Reſpondemus enim, ad veritatem di-
ſti Prophetici ſufficere, ſi *Ab exitu Sermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem*, uſque ad Chriſti mortem, numerentur hebdomades ſeptuaginta: Cum autem *Ab exitu Sermonis* ad Chriſti mortem ſeptuaginta hebdomades numerentur, ſive 7. ſive 6. ſive quocumque alio præcedenti Artaxerxis anno *Exitus* ille contigerit, Salmeronis ratio contra noſtram ſententiam nihil evincit. *Quocumque*, inquam, *Artaxerxis anno exitus ille contigerit*: cum enim annus Artaxerxis primus ſit annus ſimiliter primus ejus hebdomadæ, quæ Hebdomadas ſeptuaginta immediate præcedit; etiamſi anno Artaxerxis primo Exitus ſermonis contigiſſe poneretur, adhuc verum eſſet dictum Angelicum: adhuc enim Ab exitu ſermonis uſque ad Chriſti mortem hebdomades dumtaxat 70. numerarentur, ea nimirum, in qua exitus ille contigit, hebdomada excluſa. Non enim dixit Angelus: *Ab exitu ſermonis uſque ad Chriſtum ducem anni quadrigenti octoginta tres &c. Confirmabunt autem pactum multis anni ſeptem*: ſed dixit: *Ab exitu ſermonis uſq; ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ &c. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una*: Atque

Digitized by Google

Atque ea ratione dum temporis ſpatium intra Exitum ſermonis, & Chriſti Domini mortem interceptum hebdomadis computat,& per hebdomadas Angelus dividit, ſatis inſinuat a nobis ſimiliter ſpatium hujuſmodi & eſſe computandum, & eſſe dividendum. Sic autem computando conſtat, ab Exitu ſermonis ad Chriſti mortem hebdomadas 70. dumtaxat numerari, etiamſi Exitus ſermonis in annum Artaxerxis primum incurrat. Si autem Exitus ſermonis, vel anno primo Artaxerxis factus, ſententiæ noſtræ non obſtat; quantò minus obſtabit factus anno ſexto? Quod verò pro anni vigeſimi ſententia de adverbio *Iterum* addit hic Auctor,pace tanti viri dixerim,nimis probat: probat enim non *Iterum*, ſed *Tertiò* dicendum fuiſſe:quandoquidem ædificatione,quæ Cyri decretum eſt conſecuta, prior eſt ædificatio alia, per quam a primo ſuo Conditore Melchiſedech Jeroſolyma eſt olim ædificata. (b)

Porro allata confirmatio clariùs apparebit ex ſubjecta Tabella, in qua anni exhibentur Sabbathici Septuaginta, ab anno ante Chriſt. 451. Sabbathico hebdomadæ primæ, ad annum Chriſti 33. Sabbathicum hebdomadæ ſeptuageſimæ.

(b) *Ioſeph. lib 7.de Bello Iud. c.18.*

P ORDO

ORDO ANNORUM SABBATHICORUM

***Ab anno ante Chriſtum* 451. *ad annum Chriſti* 33.**

	Anni ante Chriſ.	Anni Sabbat.	Anni ante Chriſ.	Anni Sabbat.	Anni ante Chriſ.	Anni Sabbat.
Init.Hebd.	457					
Sabb.Prim.	451	1	374	12	297	23
	444	2	367	13	290	24
	437	3	360	14	283	25
	430	4	353	15	276	26
	423	5	346	16	269	27
	416	6	339	17	262	28
	409	7	332	18	255	29
	402	8	325	19	248	30
	395	9	318	20	241	31
	388	10	311	21	234	32
	381	11	304	22	227	33

Digitized by Google

Anni ante Chriſ.	Anni Sabbat.	Anni ante Chriſ.	Anni Sabbat.	Anni ante Chriſ.	Anni Sabbat.
220	34	129	47	38	60
213	35	122	48	31	61
206	36	115	49	24	62
199	37	108	50	17	63
192	38	101	51	10	64
185	39	94	52	3	65
178	40	87	53	Anni Chriſti.	
171	41	80	54		
164*	42	73	55	5	66
157	43	66	56	12	67
150	44	59	57	19	68
143	45	52	58	26	69
136	46	45	59	33	70

* *Annus Sabb. ex lib. 1. Mach. cap. 6.*

Finis Hebd. Sabb. 70.

CAPUT TRIGESIMUM QUARTUM

Confirmatur ſimiliter ex anno Iubileo, ſive Quinquageſimo.

JUbileus a יובל *Iobel*, ideſt, Aries, eo quod cornu arietino hæc Solemnitas indiceretur, vel certè a radice הוביל *Hobil, Duxit*, derivatum vocabulum eſt: ſignificatque *Indicem lætitiæ vocem*, quæ ad lætos, vel ad læta ducit, ut cenſet Serarius (c). Jubileus autem tum totus cyclus 49. vel 50. annorum, tum præſertim annus ejus ultimus nuncupatur. De Iubileo ſic præcipitur Levit. 25. a verſu 8. *Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomadas annorum, ideſt, ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt annos quadraginta novem: & clanges buccina menſe ſeptimo, decima die menſis, propitiationis tempore in univerſa terra veſtra. Sanctificabiſque annum quinquageſimum, & vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipſe eſt enim Iubileus. Revertetur homo ad poſſeſſionem ſuam, & unuſquiſque redíet ad familiam priſtinam: quia Iubileus eſt & quinquageſimus annus.*

(c) *In Ioſue cap. 6. q. 5.*

Ut autem conſtet de tempore, quo Iubileus indicebatur, advertere oportet duplicem

plicem apud Hebræos annum fuiſſe, Communem nimirum, & Sacrum: & Sacer quidem a Niſàn initium ſumebat, juxta illud Exod. 12. 1. — *Menſis iſte, vobis principium menſium: primus erit in menſibus anni*. Eſt autem Niſàn menſis lunaris, qui Martio Iuliano, vel certè Martio partim, partim Aprili reſpondet. Communis, ſive Civilis incipiebat a Tiſrì, qui ſimiliter lunaris eſt menſis, & cum Septembri Iuliano, vel cum Septembri ex parte, ex parte autem cum Octobri concurrit. Annus Sacer Feſtis, præſertim Paſchati; Communis verò contractibus, & civilibus negotijs inſerviebat, ut docet Ioſephus (d). Iubileus itaque initium ducebat a die decima Tiſrì, qui in anno Sacro eſt menſis 7. Scripturam porrò per annos Sacros chronologiam texere ſatis conſtat ex paulò ante relato Levitici loco, ubi dicitur: *Clanges buccina menſe ſeptimo*: atque adeo menſis Tiſrì, qui primus eſt in anno Civili, ſeptimus vocatur, reſpectu habito ad annum Sacrum, cujus initium eſt menſis Niſàn.

(d) *Antiq. lib.* 1. *cap.* 4.

Jam verò cum Scriptura Divina annum Iubilei modò quadrageſimumnonum appellet, cum dicit — *Numerabis tibi ſeptem hebdomadas annorum, & clanges buccinà menſe ſeptimo*; modò quinquageſimum, cum dicit — *Quia Iubileus eſt, & quinquageſimus annus*;

nus; meritò apud Auctores in quæſtionem vocatur, utrum 49. an 50. anno definiri Iubileus debeat. Cæterum ex Scriptura ipſa videtur hæc poſſe diſſolvi quæſtio, atq; ſtatui Iubileum anno utroque definiendum, & partim ad annum 49. cujus menſe 7. incipit, partim ad annum 50. cujus menſe 7. deſinit, eſſe referendum. Quam ſententiam amplectitur etiam Guillelmus Bonjour in Diſſert. de 70. Hebdomadis §. 2. n. 6.

Jam verò *Iubileum*, ſive *Remiſſionem* contineri Hebdomadis ſeptuaginta, tum ratione numeri, tum ratione ſenſus, quem præſeferunt verba Prophetica, manifeſtum eſt. Quod enim ad Senſum attinet, quid aliud voces illæ: *Ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas,* niſi Iubileum, & Remiſſionem ſonant? Numerum autem 490. Remiſſioni ſignificandæ præ cæteris in Scriptura eſſe deſtinatum, docent D. Chryſoſtomus, Beda, & Theophilactus apud Petrum Bungum (e) quò etiam illud referunt, quòd interroganti Petro. (f) *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? uſque ſepties? Non dico tibi uſque ſepties*, reſpondit Chriſtus, *ſed uſque ſeptuagies ſepties*. Quo loquendi modo, & myſticum Numerum remiſſionis, a Daniele Propheta ſuo inſinuatum, ore proprio Veritas

(e) *De myſterijs numerorum ad n.* 490.

(f) *Matth.* 18. 21.

ritas confirmat: & remiſſionis tempora, quæ definienda cenſebat Petrus hebdomada una: *Uſque ſepties*, extendi jubet uſque ad hebdomadas 70. *Uſque ſeptuagies ſepties*. Quidam etiam hac ratione explicarunt locum illum Geneſeos(g)*Septuplum ultio dabitur de Cain: de Lamech verò ſeptuagies ſepties*, ut idem Bongus ibidem teſtatur, ubi etiam Lamech ſic loquentem inducit: *Si de Cain ſepties vindicatum eſt, de me Lamech ſeptuagies ſepties vindicabitur: hoc eſt, ſi juſta adverſus Cain Dei ſententia extitit, ut ſeptem ſupplicijs afficeretur, ipſe equidem dignus ſum, qui Quadringentis nonaginta pœnis excrucier. Quoniam ille, quemadmodum ab alio, quid, quamque grave crimen eſſet cædem committere, minimè didicerat; ſic nec homicidam ullum viderat meritas pœnas exſolventem. Ego autem gementem, ac trementem cernens, iræque Divinę magnitudinem ob oculos habens, hujuſmodi exemplo nec melior factus, nec a facinore deterritus ſum: proinde jure optimo multò majora mihi tormenta inferentur. Hic igitur numerus* (concludit) *honori habitus eſt non modò in remittenda offenſa; verum etiam in animadvertendis, atque ulciſcendis flagitijs*.

(g) *Gen.* 4. 24.

Porro 70. Hebdomades cyclos conficiunt Jubileos decem: Decadem autem Iubileorum intercedere inter annum 7. Artaxer-

xis

xis Hebdomadum initium, & annum Æræ communis 33. Hebdomadum finem, jam ſæpius oſtendimus, cum oſtendimus annos 490. inter dictos terminos comprehendi. Quia tamen non ſtatim conſequens eſt, ut, ſi inter duos hujuſmodi annos cycli intercedant Iubilei decem, ijdem anni idcirco Iubilei ſint; quemadmodum non eſt conſequens, ut, ſi geminos inter dies intercludatur hebdomada dierum, ij gemini dies Sabbathici ſint; ſi eos geminos annos Iubileos eſſe contingeret; ita nimirum, ut unum, idemque eſſet in Hebraica Chronologia Hebdomadum 70. initium, & cycli Jubilei initium, idemque Hebdomadum 70. finis, & cycli Iubilei finis; atque hebdomades 7. cum cyclo Iubileo uno, & Hebdomades 70. cum cyclis Iubileis decem pariter fluerent; nihil ad ſententiam noſtram confirmandam accidere opportunius poſſet. At res ita plane ſe habet: Nam Iubileũ fuiſſe annum ante Chriſtum 458. a quo Hebdomades inchoantur, & annum Æræ communis 33. in quo Hebdomades terminantur, patet ex ſequenti Tabella, in qua anni Iubilei omnes ex ordine numerantur a Primo, qui eſt annus ante Chriſtum 1438. (ut docet Petavius (*b*) & nos in Chronico, quod ſumus edituri, oſtendimus) ad Ultimum, qui eſt annus Chriſti 33.

(*b*) *Lib.* 9. *de Doctrina Temp. cap.* 27.

ORDO

ORDO JUBILEORUM

Per ſeptenas hebdomadas deſcendendo ductus ab anno ante Chriſtum 1438. *ad annum Chriſti* 33.

Anni ante Chriſ.	Anni Jubil.	Anni ante Chriſ.	Anni Jubil.	Anni ante Chriſ.	Anni Jubil.
1438	1	899	12	409	22
1389	2	850	13	360	23
1340	3	801	14	311	24
1291	4	752	15	262	25
1242	5	703	16	213	26
1193	6	654	17	164	27
1144	7	605	18	115	28
1095	8	556	19	66	29
1046	9	507	20	17	30
997	10	458	21	Anni Chriſ.	
948	11	*Hinc incipit cyclus Iubil. Hebdomadū primus.*		33	31

Hic definit cyclus Iubil. Hebdomadū decimus.

Powered by Google

CAPUT TRIGESIMUM QUINTUM

De Sectione Hebdomadum in Septem, Sexaginta duas, & Unam.

HEbdomadas 70. dividit Angelus in 7. 62. & 1. dicit enim v. 25. — *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Ieruſalem, uſque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ.* Dicit deinde v. 27. -- *Confirmabit autem pactum multis hebdomada unà.* Hujuſmodi autem diviſione, quæ difficultatem, nec ſanè levem continet, myſterium ſimiliter contineri dubitandum non eſt: meritò proinde Euſebius (i) μὴ μάτην, μηδὲ ὡς ἔτυχε τὴν διαίρεσιν πεποιῆσθαι τὸν λόγον τῶν ἑβδομήκοντα ἑβδομάδων, ideſt, *Non inaniter, neque temerè ſeptuaginta Hebdomadum diviſionem eſſe factam* affirmat. Quam Euſebij ſententiam referens Hieronymus (k) *Hæc non fruſtra*, inquit, *& abſq; inſpiratione Dei Angelum reſpondiſſe manifeſtum eſt. Quæ obſervatio cautam, atque ſolicitam videtur expetere rationem, ut lector diligenter attendat, & cauſam diviſionis inquirat.*

(i) *Demóſt. Evang. lib.* 8

(k) *In cap.* 9. *Danielis.*

Primò

Primò itaque inquirimus, quid ſibi velint hebdomades illæ Septem, quas Gabriel a Sexagintaduabus diſſectas, & primas enumerat, dum ait — *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Ieruſalem, uſque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem*. Et verò prima hæc Sectio, duabus reliquis ad explicandum idcirco eſt difficilior, quòd in reliquis, præter numerum, res aliqua exhibeatur, unde ratio diviſionis poſſit inveſtigari: in hebdomadis nempe Sexaginta duabus *Chriſtus Dux*; in hebdomadâ unâ *Confirmatio pacti*: At in prima Sectione nihil, præter numerum exhibetur, dum dicitur, *Hebdomades ſeptem*.

Quidam occurrendum putant per Hebraicum idiotiſmum, quo minores numeros, inter computandum, majoribus præponere hæc lingua ſolet. Ita veteres Hebræi apud Hieronymum. (l) *Nec nos*, inquiunt, *moveat, quod primum numerentur ſeptem hebdomadæ, & poſtea ſexagintaduæ, & rurſum una, quæ in duas partes dividitur: Eſt enim hoc idioma ſermonis Hebraici, & antiquorum ſermonis Latini, ut antea numerum minorem ſupputent, & poſtea maiorem. Verbi gratia, nos juxta proprietatem linguæ noſtræ nunc dicimus, Abraham vixit annos centum ſeptuagintaquinque:* illi

(l) *In cap. 9. Danielis.*

illi è contrario loquuntur: vixit Abraham annis quinque, & ſeptuaginta, & centum. Non igitur ut legitur, ita impletur &c.

Verùm hæc reſponſio non ſolvit nodum, nam Hebraicus idiotiſmus perinde, imò meliùs ſervaretur, dicendo, *Hebdomades novem, & hebdomades ſexaginta*. Meliùs, inquam; quia enim ita præponuntur *ſeptem*, ut poſtponatur *duæ*, dum dicitur, *Hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ*; non omnino, ſed ex parte duntaxat idiotiſmus ſervatur.

(m) *Demõſt. Evang. lib.* 8

Euſebius (m) hebdomadis Septem tempus definiri exiſtimat, intra quod ædificatum eſt Templum ſecundum: ſed obſtat chronologia, conſtat enim epocham Hebdomadarum Templi ſecundi ædificatione multo eſſe poſteriorem. Nam Templum ſecundum perfectum eſt anno Darij 6. (n) annus autem Darij ſextus eſt Olympiadis 66. primus, ante Chriſtum 516. Cum epocha Hebdomadarum deſumatur, ut oſtendimus, ab anno ante Chriſtum 457. Subtrahe ab annis 516. annos 457. reſidui erunt anni 59. quibus Hebdomadum initium Templi ſecundi ædificatione poſterius eſt.

(n) 1. *Eſd.* 6. 15.

Similiter nec ad temporis ſpatium, quo Jeroſolyma eſt inſtaurata (quod gratis aſſerunt nonnulli) hujuſmodi hebdomades Septem,

Septem, referri poſſunt: cum neque ex ſacris Literis; neque ex prohana Hiſtoria id colligatur: Imo verò oppoſitum colligatur ex Joſepho (*o*) qui mœnia duobus annis, & menſibus tribus perfecta fuiſſe, memoriæ prodidit. Quod Joſephi dictum de ædificio numeris omnibus abſoluto eſt intelligendum, ne contradicere videatur Scripturæ, dum ait (*p*) *Completus eſt autem murus vigeſimoquinto die menſis Elùl, quinquaginta duobus diebus.*

(o) *Antiq. lib.* 11. *cap.* 5

(p) 2. *Eſdr.* 6. 15.

Rabbini porro, atque eorum aſſeclæ, qui primam hanc Hebdomadum Sectionem eò cenſet referendam, ut poſt hebdomadas Septem Chriſtus Dux, quem Cyrum exiſtimant, aſſuturus intelligatur; alibi ex profeſſo ſunt refellendi.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT TRIGESIMUM SEXTUM

Aſſertur ratio primæ Sectionis.

NOs ergo (quandoquidem Sectio hæc & ſine ratione inducta non eſt, & nihil niſi numerum exhibet) ex ipſomet numero ſectionis hujus petendam eſſe rationem cenſemus, atque huc illud quadrare (q) *In numero eſt omnis operatio*. Cenſemus ergo, quòd quemadmodum annos 490. a reſtitutione Hebraicæ Reipublicæ uſque ad Chriſti Domini mortem divinitus conſtitutos per ſeptem diviſerat Gabriel; atque ita dividendo ex annis 490. fecerat Hebdomadas 70; ſimiliter Hebdomadas 70. ſubdividere per ſeptem voluerit, atque ita dividendo facere Iubileos decem: & qua ratione dicere cum poſſet: *Anni* 490. *abbreviati ſunt ſuper populum tuum*, non ita dixit, ſed maluit dicere: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt*; eadem ratione dicere cum poſſet: *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Ieruſalem uſque ad Chriſtum Ducem hebdomades novem, & hebdomades ſexaginta*, non ita dixerit, ſed maluerit dicere *Hebdomades ſeptem*

(q) *Eccleſiaſtici* 38.32

ſeptem , *& hebdomades ſexaginta duæ* , ut myſticum Numerum, Jubileorum Decadem ſcilicet 70. Hebdomadis comprehenſam , Jubileo uno, tanquam indice , illico indigitaret , & remiſſionem , quam ſecum ferrent Hebdomadum tempora , argumento maniſeſtiſſimo ſignificaret .

Rabbi Samuel ben Iudæ Valerij * in ſua expoſitione Danielis , quæ inſcribitur חזון למועד *Hhazon lemohed*, ideſt, *Viſio Teſtimonii* , ſive *Temporis conſtituti* , ea verba, *Uſque ad Chriſtum Ducem hebdomades ſeptem*, ſic exponit ואמר שבועים שבעה להורות כי יהיה קיים המשיח נגיד לעולם ועד ולזה ראוי שתדע ששבועים ז׳ הם מ״ט שהם ז׳ שמטות שהם יובל א׳ והיובל יקראו חכמים ז״ל לעולם כמו ועבדו לעולם שרוצה שיוצא ביובל , ideſt , — *Dicit autem hebdomadas ſeptem* , *ut oſtendat Meſſiam Ducem permanſurum in æternum* , *& ultra* . *Idcirco ſciendum eſt* , *hebdomadas ſeptem annos eſſe* 49. *ideſt* , *annos ſeptem Remiſſionis* , *ſive Sabbathicos* , *qui faciunt Iubileum unum*: *Iubileum porro Sapientes noſtri bonæ memoriæ vocant æternitatem* , *juxta illud*, Exod. 21. 6. Et erit ei ſervus in ſeculum : *id autem ſignificat eum* (ſervum ſcilicet) *liberum futurum tempore Iubilei*. Hæc ille , cujus hoc loco auctoritatem attulimus , non quaſi ejus ſententiam probemus, dum ait per ea verba :

* *De hoc Auctore vide Bartolocci Bibliothec. Rabbini to.* 4. *p.* 302.

Uſque ad Chriſtum Ducem hebdomades ſeptem, ſignificari Meſſiam in æternum manſurum: Id enim nullo modo ijs verbis ſignificari arbitramur: ſed ut oſtendamus, ea verba, *Hebdomades ſeptem*, ad Iubileum a nobis referri non ſine cauſa: quando verba eadem Rabbini (quamquam in Hebdomadis exponendis tam longè a nobis diſcrepantes) vi veritatis adacti, eadem ratione exponunt.

Per Iubileum ergo, quem indigitare voluit Angelus, cum dixit — *Hebdomades ſeptem*, primæ Sectionis rationem reddidimus.

CAPUT

CAPUT TRIGESIMUM SEPTIMUM

Exponuntur ea Verba: Uſque ad Chriſtum Ducem: *& ex ijs ratio redditur alterius ſectionis*, Hebdomades 62.

JUbileum porro ea, quam diximus, ratione ab Angelo indigitatum, promulgari oportebat, juxta illud Levit. 25. 9. *Clanges buccina menſe ſeptimo, decima die menſis*. Ad Iubilei ergo promulgationem ſpectare affirmamus ſectionem alteram, ideſt, *Hebdomades* 62. Quod ſic oſtendimus: Nam ea verba: *Uſque ad Chriſtum ducem*, perinde ſonant, atque: *Uſque ad Chriſti Baptiſmum*. In Baptiſmate enim Chriſtum electi populi ducem publicè, & palam eſſe declaratum voce illa Patris de cælo miſſa (r) — *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, communis eſt Interpretum, ac Patrum ſententia, præſertim Athanaſij, Hieronymi, Hilarij apud Toletum (s) Nam cum ante id temporis privatam, & obſcuram Dominus Ieſus vitam egiſſet; tunc primum, quippe qui per eam vocem in Doctorem, & Redemptorem humani generis fuerat palam, & publi-

(r) *Matth.* 3. 17.

(s) *In Ioan. cap.* 1. *annot.* 71.

publicè inunctus, & conſecratus, Ducis munere fungi cœpit. Quia vero Chriſti mors, juxta noſtrum ſyſtema, incidit in annum Æræ communis 29. ætatis Chriſti 33. inter baptiſmum autem, & mortem anni tres cum menſibus aliquot (juxta communem ſententiam) ſunt intercepti; anno ætatis ſuæ 30. Æræ communis 26. qui annus ſeptimus eſt, & Sabbathicus hebdomadæ 69. (ut patet ex poſito ſuperius Ordine annorum Sabbathicorum) Chriſti baptiſmum contigiſſe conſequens eſt. Quare cum circa idem tempus cœperit Iubileum indicere, & promulgare, hebdomada 69. Iubileum a Meſſia indictum fuiſſe ſtatuendum eſt.

Meſſiam verò circa idem tempus, ideſt, paulo poſt baptiſmum, cœpiſſe Iubileum promulgare, teſtatur Meſſias ipſe: nam Lucæ 4. 1. ſic habetur — *Jeſus autem plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt a Jordane: & agebatur a Spiritu in deſertum diebus quadraginta, & tentabatur a diabolo* — Et infra v. 13. — *Et conſummata omni tentatione, diabolus receſſit ab illo, uſque ad tempus. Et regreſſus eſt Jeſus in virtute Spiritus in Galilæam, & fama exijt per univerſam regionem de illo. Et ipſe docebat in ſynagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus. Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, & intravit ſecun-*

ſecundum conſuetudinem ſuam die ſabbathi in ſynagogam, & ſurrexit legere. Et traditus eſt illi liber Iſaiæ prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi ſcriptum erat (t) *Spiritus Domini ſuper me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captivis remiſſionem, & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare annum Domini Acceptum, & diem retributionis. Et cum plicuiſſet librum reddidit miniſtro, & ſedit. Et omnium in ſynagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos: quia hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auribus veſtris.* (t) *Iſaiæ* 61.

Unde ſic colligimus: *Hodie* (poſt Chriſti Baptiſmum nimirum, & anno ipſius prædicationis primo, ut ex Chronotaxi geſtorum Chriſti, quam ſuis in Matthæum Commentarijs præfigit Cornelius a Lapide, deprehenditur) *impleta eſt hæc ſcriptura*, ipſo Meſſia teſte: ſed hæc ſcriptura dicit Meſſiam miſſum ad prædicandum *Captivis remiſſionem*, & *annum Domini Acceptum*, nimirum, annum Jubilei (Nam *Omnes fatentur*, inquit Maldonatus hunc ipſum textum exponens, *ad annum Jubilei eam phraſim alludere*) ergo hebdomada 69. Meſſias Jubileum indixit, & promulgavit, per ea ſcilicet verba, quæ cœpit exinde inculcare — *Pœnitentiam*

Digitized by Google

tiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum (u).

(u) *Matth.* 4. 17.

Atque hinc annum Baptiſmi ex fine hebdomadæ 69. & finem hebdomadæ 69. ex anno Baptiſmi, per regreſſum quemdam, libet confirmare. Quia enim -- *Cum vero omnia conſonat, quæ in re inſunt*, ex Philoſopho; ille cenſendus eſt verus annus Baptiſmi, qui cum conſonat finis hebdomadæ 69. - Rurſus ille eſt cenſendus verus finis hebdomadæ 69. qui cum conſonat annus Baptiſmi: Sed hujuſmodi (ut oſtendimus) eſt annus Æræ communis 26. Ergo annus Æræ communis 26. eſt annus verus Baptiſmi Chriſti, & verus finis hebdomadæ 69. Per regreſſum, inquam, non verò per circulum, quem Dialectici *vitioſum* appellant: ita enim alterum probamus ex altero, ut utrumque probemus aliunde.

CAPUT TRIGESIMUM OCTAVUM

Ratio redditur Sectionis tertiæ, ideſt, Hebdomada una.

JUbileum denique per hebdomadas 7. indigitatum ab Angelo, & poſt hebdomadas 7. & 62. ideſt, poſt hebdomadas 69. a Meſſia promulgatum perficere, & conſummare oportebat, juxta illud Levit. 25. 10. *Et vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipſe eſt enim Jubileus. Revertetur homo ad poſſeſſionem ſuam, & unuſquiſque rediet ad familiam priſtinam: quia Jubileus eſt, & quinquageſimus annus.* Ad Jubilei itaque perfectionem, conſummationemque ſpectare affirmamus Sectionem tertiam, cum dicitur — *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una.* Nam pactum, ſive teſtamentum per mortem confirmatur: *Teſtamentum in mortuis confirmatum eſt*, inquit Apoſtolus (x) *Et ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio* (y) ideſt, non fit Iubileus. Quare cum Chriſtus anno Æræ communis 29. hebdomadæ ſeptuageſimæ tertio, mortem objerit, & ſanguinem fuderit; hebdomadâ ſeptuageſimâ, & ul-

(x) *Hebr.* 9. 17.
(y) *Ibid.* v. 22.

& ultimâ, ideſt, *Hebdomada una*, Pactum, ideſt, novum Teſtamentum confirmatum, & Iubileum conſummatum, atque ad perfectionem adductum fuiſſe dicendum eſt. Hebdomadâ nimirum ſeptuageſimâ, & ultimâ Chriſtus (a) *Per proprium ſanguinem introivit ſemel in Sancta, æterna redemptione*, & peccatorum remiſſione, *inventa*. In ipſo enim (b) *Habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum*. Ad Iubileum ergo, quem *Hebdomades Septem* deſignant, *Hebdomades Sexagintaduæ* promulgant, *Hebdomada Una* perficit, atque conſummat, triplex illa Hebdomadarum Sectio referenda eſt.

(a) *Hebr.* 9. 12.

(b) *Coloſ.* 1. 14.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT TRIGESIMUM NONUM

Quàm nullo fundamento Auctores nonnulli 7. & 62. hebdomadas ſeparent, atque ad res diverſas detorqueant.

PRimam Hebdomadum Sectionem, ideſt, *Hebdomadas ſeptem* a ſexaginta duabus ſeparant Auctores nonnulli, atque res diverſas, aliquot ſeculis inter ſe diſſitas, numeris hujuſmodi deſignari contendunt. Quos inter Ioannes Marshamus(c) hebdomadas ſeptem ducit ab anno primo Darij Medi (quem ait anno Nabonaſſari 162. ante Chriſtum 586, Suſiano Chaldæorum territorio potitum) ad Babylonicum Cyri initium (ideſt ad annum ante Chriſtum 537.) ſexagintaduas autem a Templi deſolatione (quam factam a Chaldæis ſtatuit anno Nabonaſſari 141. ante Chriſtum 607.) ad annum 4. Antiochi Epiphanis, ideſt, ad annum ante Chriſtum 173. Sententia hæc, quatenus hebdomadas a Chriſto diſtrahit, & *Chriſtum Ducem* Cyrum interpretatur, alibi datâ operâ eſt refellenda. Interim tamen occurrere oportet argumento, quod ad hujuſmodi ſeparationem hebdomadum confirmandam, ex accentu Atnach

(c) *In Canone Chronico Seculo* 18.

Atnach voci illi שִׁבְעָה *ſcibbà* Infixo iſti Auctores derivant: cum enim accentus Atnach, inquiunt, apud Grammaticos, duobus in oratione interpungēda punctis reſpondeat; ſi vox שִׁבְעָה *ſcibbà ſeptem*, per accentum hujuſmodi notatur, conſequens eſt, eam a ſequentibus ושבועים ששים ושנים *veſcabubìm ſciſsìm uſcnàijm*, eſſe disjungendam, atque ita textum interpungendum: *Hebdomades ſeptem: & hebdomades ſexaginta duæ*.

Equidem mirari ſatis non poſſum, tam inani argumento eruditos Viros moveri potuiſſe, nec animadvertiſſe id, quod ijdem Grammatici docent, videlicet accentum Atnàch non eamdem ſemper diſtinguendi vim obtinere, ſed *Sæpe minori diſtinctioni ſervire, ac proprio officio non fungi, ut vel primus Bibliorum verſus demonſtrat*: Quæ ſunt Buxtorphij verba in Theſauro Grammatico (d) En primus Bibliorum verſus ab Auctore citatus: בראשית ברא אֱלֹהִים את השמים ואת הארץ *Bereſcìth barà Elohìm eth haſcamaijm, veeth haàrets*; ubi accentus Atnàch affixus illi voci אֱלֹהִים *Elohìm, Deus*, uſque adeo minimæ, ne dum minori diſtinctioni deſervit, ut diſtinctio hujuſmodi nec in Latino, nec in Græco textu exprimatur. Latinus enim textus ſic habet: *In principio creavit*

(d) *Lib.* 2. *cap.* 23.

Digitized by Google

creavit Deus cœlum, & terram. Græcus autem Εν ἀρχῆ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν ὀυρανὸν καὶ τὴν γῆν, ubi nulla, ut vides, inter *Deus*, & *cœlum*: inter θεὸς, & τὸν ὀυρανὸν diſtinctionis nota interponitur. Simile aliud exemplum habetur Geneſ. 8. 18. ויצא נֹחַ וּבניו ואשתו ונשי בניו אתו׃ *Vajetsè Nòahh ubanàu, veiſtò unſtè vanàu ittò*, ubi idem accentus Athnach voci נֹחַ Nòahh appoſitus minorem ſimiliter diſtinctionem denotat. Quare diſtinctionem hujuſmodi per comma, ſeu virgulam exprimit Latinus Interpres: ſic enim interpungit verſum allatum: *Et egreſſus eſt Noe, & filij ejus: uxor illius, & uxores filiorum ejus cum eo*. Tertium, quod maximè ad rem facit, exemplum occurrit in numeris ex lib. Num. cap. 1. 46. ubi recenſentur ex filijs Iſrael, qui erant apti ad bellum ויהיו כל הפקדים שש מאות אלף ושלשת אלפים וחמש מאות וחמשים׃, *Vaihiu col happekudim ſceſc meoth aleph uſcloſceth alaphim vahhameſc meoth vahhamiſcim*, ideſt, *Et fuerunt omnes numerati ſexcenta millia, & tria millia, & quingenti, & quinquaginta*. Vbi, cum accentus Athnach ad vocem אֲלָפִים: *alaphim, millia* appoſitus non obſtet, quò minùs una ſit ſumma filiorum Iſrael conflata ex ſexcentis tribus millibus, quingentis, & quinquaginta; ſimiliter non

 obſta-

obſtare dicendus eſt idem accentus appoſitus ad vocem שִׁבְעָה *ſcibbà ſeptem*, quò minùs una ſit ſumma hebdomadarum 69. conflata ex hebdomadis ſeptem, & ſexaginta duabus.

Cæterùm in accentu Atnach id contingere mirum nemini debet videri, quando *Sillùk*, ſive *Soph-paſuch*, qui inter accentus diſtinctivos eſt omnium maximus, & puncti vim habet, interdum (ut idem Buxtorphius ibidem obſervat) ita pendentem ſententiam relinquit, ut nè comma quidem conſtituat. Cujus rei exemplum luculentum habemus Geneſ. 23. 17. ויקם שדה עפרון אשר במכפלה אשר לפני ממרא השדה והמערה אשר בו וכל העץ אשר בשדה אשר בכל גבלו סָבִיב: לאברהם למקנה לעיני בני חת, ideſt, *Confirmatuſque eſt ager Ephronis, in quo erat ſpelunca duplex, reſpiciens Mambre, tam ipſe, quam ſpelunca; & omnes arbores ejus in cunctis terminis ejus per circuitum, Abrahæ in poſſeſſionem, videntibus filijs Hheth*. Quo in textu ad vocem סָבִיב: *ſabib, per circuitum*, ſenſu nec dum expleto, apponitur accentus *ſoph-paſùk*: *ſenſu*, inquam, *nec dum expleto*: nondum enim apparet, cujus domini ſit illa, quæ in textu poſſeſſio memoratur. Quare vulgatus Interpres ad vocem *per circuitum*, quæ Hebraicæ voci סביב *ſabib*, reſpondet, pro *ſoph-*

paſùk

paſùk , ſolam virgulam adnotavit. Si ergo in voce, in qua nondum expletus eſt ſenſus, apponitur *ſoph-paſùk* , qui accentus inter diſtinctivos eſt omnium maximus; quanto magis accentus Athnach in voce שִׁבְעָה *ſcibhà ſeptem*, licet ſenſus, vel numerus in ea nondum ſit expletus, apponi poterit.

CAPVT QVADRAGESIMVM

Ex prædicta hebdomadum diviſione annus Dominicæ Paſſionis; ex anno autem Paſſionis Initium Hebdomadum confirmatur.

ANnum Dominicæ Paſſionis concurrere cum anno Æræ communis 29. præſumpſimus cap. 9. alibi probaturi. Interim ex allata diviſione obiter ſententia hujuſmodi confirmatur. Si enim Chriſti Baptiſmus incidit in annum ſeptimum hebdomadæ 69. Æræ Vulgaris 26. ut, ſecundam hebdomadum Sectionem exponentes, oſtendimus cap. 37. die autem Januarij 6. ut fert communis traditio; cum Chriſtus Dominus, ex communi ſimiliter traditione, tribus annis cum menſibus aliquot prædicaverit, & quatuor Paſchata celebraverit; anno Æræ communis 29. eum mortem obijſſe conſe-

queus eſt. Ab Januario enim anni 26. uſque ad Paſcha anni 29. quatuor Paſchata, & anni tres cum tribus menſibus computantur. Unde etiam Chriſtum Dominum in dimidio hebdomadæ ſeptuageſimæ, anno ſcilicet ipſius tertio, paſſum fuiſſe colligitur: quod alij colligunt ex illis verbis — (c) *In dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium*: non rectè tamen, ut infra oſtendemus.

(c) *Daniel.* 9. 27.

Hinc autem per regreſſum ſimilem ejus, quo uſi fuimus cap. 37. Hebdomadum initium in annum Artaxerxis ſeptimum incurrere rurſus oſtendi poteſt. Illud enim legitimum Hebdomadum initium cenſendum eſt, quod cum anno congruit Dominicæ Paſſionis: Atqui hujuſmodi eſt annus Artaxerxis ſeptimus (ab eo enim anno, ante Chriſtum 457. uſque ad annum Æræ communis 29. quo Chriſti Paſſio perfecta eſt, anni numerantur 476. atque adeo, quatuor adjectis annis, qui ab anno Paſſionis ad finem hebdomadæ reliqui ſunt, plenus, atque integer habetur numerus Hebdomadarum 70. ideſt, annorum 490.) In annum ergo Artaxerxis ſeptimum Hebdomadarum initium, rectè conjectum eſt.

CAPUT

CAPVT QVADRAGESIMVM PRIMVM

Exponuntur ea Verba: Et poſt Hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus.

DIfficultatem hæc verba præſeferunt: ſi enim Ab exitu ſermonis uſque ad Chriſtum ducem, ideſt, uſque ad Chriſti baptiſmum, juxta expoſitionem cap. 37. inſinuatam, numerantur hebdomades 69. quomodo Chriſtus occidendus dicitur poſt hebdomadas 62? Numquid enim fieri potuit, ut hebdomadis 7. idèſt, annis 49. ante baptiſmum occideretur?

Huic dubitationi facile occurritur, dicendo intelligendas hic eſſe, atque repetendas hebdomadas 7. antea memoratas: quaſi dicat, poſt hebdomadas 7. & hebdomadas 62. ideſt, poſt hebdomadas 69. occidetur Chriſtus: atque ea reſponſione plerique Auctores utuntur. Non tamen facile eſt perinde hujus reſponſionis rationem afferre. Pererius (*f*) geminam rationem inſinuat, per hæc verba: *Dicendum eſt hic ſuppleri debere primas ſeptem hebdomadas, quas nunc omiſit Gabriel, vel quo tectior, & obſcurior eſſet prophetia, vel brevi-*

(*f*) *Lib.* 10. *in Daniel.* *q.* 18.

brevitatis cauſa: quaſi ex contextu prophetiæ, & conſequentia verborum non difficile doctis, & hanc ſcripturam intento animo legentibus, futurum eſſet eas intelligere. Sed neutra hujus Auctoris ratio nobis probatur: & prima quidem eodem jure reijcitur, quo quid ſimile pro annis lunaribus ab ipſo inſinuatum cap. 4. rejectum eſt. Vt quid enim Prophetia, quæ ſponte ſua perobſcura eſt, ac perdifficilis, ſeptem hiſce hebdomadis hoc loco omiſſis, obſcurior, ac difficilior redderetur? Nec melior eſt altera; quæ ex brevitate deſumitur: cum enim aliquid inter dicendum omittere, & ſermonem breviare ſit unum & idem; interroganti cur 7. hebdomadas hoc loco Gabriel omiſerit, ſi reſpondeas, ut ſermonem breviaret, eòdem revòlueris. Reſponſionis utriuſq; infirmitatem Auctor pervidit, itaque tertiam excogitavit: *Poteſt aliter*, inquit, *& forte commodius reſponderi, has ſexagintaduas hebdomadas non a principio hebdomadũ, atq; ædificatione Hieruſalẽ Gabrielem numeraſſe, ſed a fine ſeptem hebdomadum, quas paulo ante primo loco memoraverat. Cum enim ſexaginta novem hebdomadas, uſque ad Chriſtum ducem futuras, diſpertiviſſet in ſeptem, & in ſexaginta duas, & docuiſſet, quidnam inſigne, ac memorabile in illis ſeptem prioribus hebdomadis gerendũ eſſet dicens:* Et rurſus ædificabitur platea, & muri

in

in anguſtia temporum; *conſequenter nunc declarat, quid poſt alias ſexaginta duas hebdomadas eventurum eſſet, ſubdens*: Poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus.

Sed neque tertia hæc reſponſio procedit: primò enim diviſio illa hebdomadum in 7. & 62. aliam habet expoſitionem, ut oſtendimus cap. 36. Deinde ædificatio Hieroſolymæ non ſeptem, ſed duas vixdum *Ab exitu ſermonis*, ideſt, ab anno Artaxerxis 7. implevit hebdomadas: nam *Murus* anno 20. *completus eſt, vigeſimoquinto die menſis Elùl* (*g*) Licet autem dicat Scriptura (*h*) *Civitas autem erat lata nimis, & grandis, & populus parvus in medio ejus, & non erant domus ædificatæ*; domorum tamen ædificium hebdomadis ſeptem productum fuiſſe, cum id Scriptura ipſa non dicat, nec conſtet aliunde, affirmare quis audeat?

(*g*) 2. *Eſdr.* 6. 15.
(*h*) 2. *Eſdr.* 7. 4.

Nobis itaque ex Hebraico textu, atque adeo ex ה He demonſtrativo, quod voci illi שבועים, *ſcabuhim* præponitur, hæc videtur quæſtio diſſolvenda: dicitur enim in textu, ואחרי השבועים ששים ושנים. Hebraico autem textui verſio Græca reſpondet, quæ ſic ſe habet: Καὶ μετὰ τὰς ἑβδομάδας τὰς ἑξήκοντα δύο: italicè diceremus: *E dopo le ſeſſantadue ſettimane*. Quantum autem interſit inter vocem articulo affectam, & articulo deſtitutam intel-

ligunt

ligunt omnes, quicumque Italicè ſciunt. Si enim mihi, de hora ad negotium tecum diſcutiendum idonea, a prandio interpellanti, reſpondeas, *Venite dopo due ore*, redibo interdiu: Si dicas, *Venite dopo le due ore*, noctu redibo. Itaque Hebraicus ille articulus voci שבועים, *ſcabuhim hebdomadis* præfixus ſignificat, hebdomadas Sexaginta duas, de quibus ſermo eſt, non eſſe hebdomadas ſexaginta duas quaſcumq; ſed eſſe illas ipſas Sexaginta duas, quæ poſt Septem ſunt enumeratæ, ubi dictum eſt: *Ab exitu ſermonis, uſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt*. Perinde eſt autem, ſive dicas, occidetur Chriſtus poſt hebhomadas illas Sexaginta duas, ſive dicas occidetur Chriſtus poſt hebdomadas ſexaginta novem: quandoquidem illæ Sexagintaduæ non niſi poſt Septem alias præcedentes ſunt tranſituræ. Ecce quantum claritatis una literula, ſive articulus in expoſitionem textûs inducit. Quibus articulis quia caret Latina lingua obſcuritati ſubinde; atque ambiguitati locum relinquit. Angelus itaque hoc loquendi modo brevitati pariter, & claritati conſultum voluit. Brevitati quidem, dum vocem illam שבעה *ſcibha*, *ſeptem* pretermiſit; claritati autem, dum dictioni שבועים *ſcabuhim hebdomades*, articulum, ſive ה He demo-
ſtra-

ſtrativum præpoſuit, per quod idem, qui ex voce שבעה, *ſcibbà* prætermiſſa haberetur, ſenſus efficitur.

Plurima porro in ſacro Codice occurrunt in articulo ה conſequente vocem אחרי *abbare*, *Poſt*, hujus exempla ſyntaxis. Sic 1.Reg. 20. 35. dicitur ויצא יהונתן השדה למועד דוד ונער קטן עמו *Vajetsè Jehonatàn baſſadè lemobèd David, venàbar katòn bimmò. Et egreſſus eſt Jonathas in agrum juxta tempus Davidi conſtitutum, & puer parvulus cum eo.* Addit deinde v. 37. ויקרא יהונתן אחרי הנער *Vaijkrà Jehonathàn abbarè bannàbar. Et clamavit Jonathas poſt tergum pueri*: Italicè diceremus: *E gridò Gionata dietro le ſpalle del Fanciullo*: hoc eſt, poſt tergum pueri illius, de quo dictum eſt antea, *& puer parvulus cum eo*. Similiter 2. Paralip. 2. 17. ויספר שלמה כל האנשים הגרים אשר בארץ אחרי הספר אשר ספרם דוד אביו *Vaijſpòr Scelomò col baanaſcìm baggerìm aſcèr beèrets Iſraèl abbarè baſſephàr, aſcèr ſepharàm David abiv*: *Numeravit igitur Salomòn omnes viros proſelytos, qui erant in terra Iſrael poſt dinumerationem, quam dinumeravit David pater ejus.* Italicè, *Fece Salomone il catalogo di tutti li Foraſtieri, che erano in Iſraele*, dopo il catalogo, *fatto da David ſuo Padre.*

CAPVT QVADRAGESIMVM SECVNDVM

Exponitur Hebdomada Vltima, & Septuageſima.

DE Hebdomada Ultima, & Septuageſima in textu dicitur : *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una*. Porro per Pactum hujuſmodi novum Teſtamentum, & Legem Evangelicam ſignificari, vulgata Patrum atque Interpretum Sententia eſt : præſertim verò Euſebij (i) Bedæ (k) Lyrani, Hugonis Cardinalis, Gaſparis Sanctij, Emanuelis Sa, Menochij, Tirini, Cornelij a Lapide (l) Pererij (m) quo referunt Hieremiæ teſtimonium ita loquentis Cap. 31. a v. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus : & feriam domui Iſrael, & domui Juda fœdus novum : non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti : pactum, quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus : Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorũ ſcribam eam.* Jam

(i) *Apud Hieronym. in cap. 9. Daniel.*
(k) *de Temporatione cap. 7. operum tom. 2.*
(l) *In cap 9. Dan.*
(m) *In Daniel. lib. 10. quæſt. 22.*

Jam verò novum hoc Teſtamentum, & Legem Evangelicam partim ipſe per ſe, partim per Apoſtolos ſuos Chriſtus Dominus confirmavit: Per ſe ipſum quidem dimidio hebdomadæ ſeptuageſimæ primo, prædicando, mira faciendo, in primis autem mortem ſubeundo, ut diximus cap. 38. Per Apoſtolos autem hebdomadæ ejuſdem dimidio altero: Apoſtolos enim poſt Chriſti mortem annos aliquot in Iudæa manſiſſe, ibique Evangelium prædicaſſe, ex Apoſtolicis Actis perſpicuum eſt. Id unum videtur reliquum eſſe, ut inſigne aliquid, atque conſpicuum, quo clauduntur ſeptuaginta Hebdomades, exhibeatur. Quarum enim initium Indicio tam luculento ab Angelo eſt præſignatum; earum finem Charactere proprio deſtitui credendum non eſt.

Hunc nos characterem contineri arbitramur Actor. 10. a v. 11. ubi viſio narratur Apoſtolorum Principi in Ioppe exhibita, cum *Vidit cælum apertum, & deſcendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initijs ſubmitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cæli. Et facta eſt vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca. Ait autem Petrus: Abſit Domine &c.* per hanc enim viſionem Petrus, & una cum Petro Apoſtoli cæ-

Digitized by Google

teri, novum gentibus Teſtamentum communicare, eaſque ad Evangelium admittere divinitus juſſi ſunt. Subjungit enim Scriptura v. 17. *Et dum intra ſe hæſitaret Petrus quidnam eſſet viſio, quam vidiſſet: ecce viri, qui miſſi erant a Cornelio* (Gentiles nimirum a Gentili) *inquirentes domum Simonis, aſtiterunt ad januam*. Itaque altera die ad Cornelium ſe contulit Petrus, a quo cauſam, propter quam fuerat accerſitus, accepit. Ait enim Cornelius v. 30. *A nudius quarta die uſque ad hanc horam, orans eram hora nona in domo mea, & ecce vir ſtetit ante me in veſte candida, & ait: Corneli, exaudita eſt oratio tua, & eleemoſynæ tuæ commemoratæ ſunt in conſpectu Dei. Mitte ergo in Joppen, & accerſi Simonem, qui cognominatur Petrus: hic hoſpitatur in domo Simonis coriarij juxta mare. Confeſtim ergo miſi ad te: & tu bene feciſti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conſpectu tuo adſumus audire omnia quæcumque tibi præcepta ſunt a Domino. Aperiens autem Petrus os ſuum, dixit: In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente qui timet eum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi.* Quo adhuc loquente, v. 44. *Cecidit Spiritus Sanctus ſuper omnes, qui audiebant verbum. Et obſtupuerunt ex circumciſione fideles, qui venerant*

nerant cum Petro: quia & in nationes gratia Spiritus ſancti eſfuſa eſt. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc reſpondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere poteſt, ut non baptizentur hi, qui Spiritum ſanctum acceperunt ſicut & nos? Et juſſit eos baptizari in nomine Domini Jeſu Chriſti.

Reſpondet autem chronologia, Viſionem enim memoratam anno poſt Chriſti mortem quarto probati Auctores conſignant: quos inter Tirinus (n) Cornelius a Lapide (o) Philippus Labbeus. (p) Quod ſi eodem anno, quo contigit viſio illa, D. Petrum Antiochiam veniſſe, ibique Eccleſiam fundaſſe cum memorato Cornelio (q) & Petavio (r) alijſque ſtatuamus; ejuſdem Chronologiæ Euſebium in Chronico, atque ipſius Interpretem Hieronymum Auctores habebimus. Euſebius enim anno a Chriſti morte quarto Antiochenam a Petro Eccleſiam fundatam ponit: cum factum id ponat anno 4. Olympiadis 203. Chriſti mortem verò affigat anno 4. Olympiadis 202. Quare cum Chriſtus, juxta nos, mortuus ſit anno Æræ communis 29. incidit Viſio in annum Æræ ejuſdem 33. qui ſeptimus, atque poſtremus eſt Hebdomadæ ſeptuageſimæ.

(n) *In Chronico Sacro cap. 50.*
(o) *In Act. cap. 10.*
(p) *In Chronologia Hiſtorica.*
(q) *Ibidem.*
(r) *In Chronico.*

Hoc

Hoc itaque tam manifeſto, atqua præclaro Indicio Apoſtolorum Principi exhibito, Septuaginta ſuper Iudaicum populum, & ſuper Urbem Sanctam abbreviatæ Hebdomades clauſæ ſunt: & *Oſtium fidei gentibus apertum eſt* (1) ut Iubilei, per Meſſiam allati, fructus quem nollent Iudæi apprehendere, nationibus cæteris exhiberetur: juxta ſententiam Apoſtoli (1) *Vobis* (Judæis ſcilicet) *oportebat primum loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes: Sic enim præcepit nobis Dominus: Poſui te in lucem gentium, ut ſis in ſalutem uſque ad extremum terræ.* Mirabili ſanè conſilio ordinem rerum Divina ita diſponente Providentia, ut quemadmodum a Decreto regis Perſarum de terrena ædificanda Jeruſalem 70. Hebdomades initium duxerant; ſimiliter a Decreto Principis Apoſtolorum de Jeruſalem cæleſti, Chriſti Eccleſia ſcilicet, quæ per terrenam illam ſignificabatur, ædificanda finem acciperent.

(1) *Act.* 14. 26.

(1) *Act.* 13. 46.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT QUADRAGESIMUM TERTIUM

Exponuntur ea Verba: Et in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium.

TRiplicem verba hæc poſſunt ſenſum efficere, atque adeo tripliciter explicari: primò quidem ita, ut hoſtia & ſacrificium in diviſione hebdomadis, ideſt, in eo temporis articulo, qui hebdomadam bifariam dividit, deficere intelligatur. Deinde ita, ut deficere intelligatur in hebdomadæ ſic ſectæ dimidio alterutro, in quacumque tandem dimidij hujus parte defectio contingat. Tertiò ita, ut per totum dimidium, ideſt, per annos tres, & ſemis defectio protendatur. Primum ſenſum ampleċtuntur expoſitores plerique: itaque ad Chriſti mortem, per quam Hoſtiæ, & Sacrificia veteris Legis antiquata ſunt, memoratum textum referendum, atque ea ratione mortem eamdem in dimidio, ideſt, in diviſione hebdomadæ 70. collocandam ſtatuunt. Nobis tamen tertia expoſitio, tamquam cum Hebraico textu magis congruens, videtur præferenda. Textus enim

enim Hebraicus ſic ſe habet: וחצי השבוע ישבית זבח ומנחה *Vabhatsì haſſcabùah jaſcbìtb zèbahb uminhhà*, & *dimidium hebdomadæ ceſſare faciet ſacrificium*, & *oblationem*: Quæ ſanè verba talem præſeferre ſenſum videntur, ut toto dimidio facta, atque in totum protenſa Defectio intelligatur: quemadmodum in totam hebdomadam extenditur Confirmatio pacti. Et ſi autem Chriſti mortem in dimidio, ideſt, in anno 3. hebdomadæ ſeptuageſimæ collocamus, ut patet ex cap. 9. id tamen non eo, de quo loquimnr textu, ſed aliis nixi argumentis conficimus. Itaque dimidium hoc extra 70. Hebdomadas eſſe, & ad tempora Jeroſolymitani excidij ſpectare, nec levibus ſanè indicijs, atque argumentis ducti, arbitramur.

Et primò quidem belli Judaici hiſtoria hujuſmodi expoſitionem confirmat: verè enim dimidiâ, poſt bellum Judaicum inchoatum, hebdomadâ, ideſt, a tempore quo Zelotæ, occupato Templo, pugnare ex illo, tamquam ex arce cœperunt, uſque ad Templi ejuſdem everſionem a Romanis factam ſacrificia, oblationeſque, & cætera ad Dei cultum, & religionem pertinentia fieri in templo deſierunt. Templum enim occuparunt Zelotæ, ut ex Joſepho Petavius (r) Vſſerius (s) alijque paſſim chronologi tradunt, anno

(r) *In Chronico.*
(s) *In Annalibus.*

no Æræ communis 67. Templum autem ex ijſdem auctoribus everſum eſt anno Æræ communis 70. Idem temporis intervallum inter utrumque terminum ſtatuit Cardinalis Baronius (t) nam templum occupatum ponit anno Chriſti 69. everſum autem anno 72.

(t) *In Annalibus.*

Confirmat deinde contextus, ſequentium Verborum: *Et erit in Templo abominatio deſolationis:Hebraicè* ועל כנף שקוצים משמם *Vebàl cenàph ſikkutsìm meſcomèm*. Si enim vocem illam כנף *cenaph*, non *Alam*, ut plerique, ſed *Oram*, ſive *Extremitatem* interpretemur; Hebraicus textus ad Verbum ſic reddi poterit: *Et ſuper oram, ſive ſuper extremitatem abominationum deſolans*. Porro vox hæc *Templum* in Hebraico textu non habetur, ſed ſubauditur ex verbis præcedentibus,וחצי השבוע ישבית זבח ומנחה,*Vabhatſi haſſcabuah jasbith zebahh uminhha*: *Et dimidium hebdomadæ ceſſare faciet ſacrificium, & oblationem*: Sacrificium enim, & Oblatio, quæ non niſi in templo fierent, non niſi in Templo defeciſſe ſunt intelligenda.

Itaque verba hæc, ועל כנף שקצים משמם *Vebal cenaph ſikkutſim meſcomem, Et ſuper extremitatem abominationum deſolans*, cum verbis præcedentibus וחצי השבוע ישבית זבח ומנחה, *Vabhatſi haſſcabuah jasbith zebahh uminhhà*: *Et dimidium hebdomadæ ceſſare fa-*

ciet ſacrificium, & oblationem, ita conjungenda arbitramur, ut una & eadem Abominatio deſolationis utrobiq; ſignificetur, quæ quidem Abominatio per ceſſationem ſacrificij, atque oblationis (cum arcem ex templo zelotæ fecerunt) inchoata; per cædes deinde, & ſcelera execrabilia, quæ ibidem in dies perpetrabantur, aucta magis magiſque; ubi ad oram tandem, ideſt, ad extremum devenit, tum verò deſolatio, & vaſtitas a Romano exercitu ſupervenerit, atque ab eo præſertim milite, qui, Tito necquidquam prohibente, ut teſtatur Ioſephus (u) Templum incendit. Vocem verò illam כנף *cenaph* non *alam* modo, ſed oram etiam, ſive extremitatem ſignificare conſtat ex 1. Reg. 24. 5. ubi dicitur de David, ויכרת את כנף המעיל אשר לשאול בלט: *Vaiſcrat et cenaph hammehil aſcer leſaul ballat*: *Et præcidit oram chlamydis Saul ſilenter*. Imo Ala idcirco כנף *cenaph* dicitur, quia in avibus Extremum eſt.

(u) *De Bello Judaico lib.* 7. *cap.* 10.

Ceſſationem itaque ſacrificij, & oblationis in morte Chriſti de jure quidem inductam cenſemus, non tamen de facto: adhuc enim poſt Chriſti mortem (quamdiu Lex vetus mortua quidem erat, ſed non mortifera) in Templo licitè, & ſacrificia offerebantur, & fundebantur preces: nam *Petrus & Joannes aſcendebant in templum ad horam ora-*

orationis nonam. (x) De facto autem, & non de jure loqui hoc in textu Gabriel dicendus eſt: quemadmodum de facto loquitur, ubi de Chriſto Duce determinat. Licet enim Chriſtus de jure à primo ſuæ conceptionis momento Dux fuerit Populi electi; non tamen à conceptione, ſed à baptiſmo, in quo Dux de facto a Patre eſt declaratus per ea verba: *Hic eſt filius meus dilectus*, ipſius Ducatum ab Angelo computari oſtendimus Cap. 37. (x) *Actor.* 3. 1.

Ad hæc cum jam executus eſſet Gabriel, quid nam hebdomadâ illâ unâ, quæ ultima eſt, & Septuageſima, futurum eſſet, dicendo: *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una*: ſanè non retro reſpicere, ſed pergere, & ad alia tranſitum facere dicendus eſt: atque adeo jam non de illa, verùm de alia hebdomada loqui, dum ſubdit: *Et dimidium hebdomadæ ceſſare faciet ſacrificium & oblationem*. Præſertim cum Templi deſolationem defectui huiuſmodi annectat, dum ait, ועל כנף שקוצים משמם, *Vehàl cenàph ſcikkutsìm meſcomèm*: *Et* ſuper *extremitatem abominationum deſolans*: hanc autem deſolationem annis 40. a Chriſti morte diſtare compertum ſit.

Accedunt verſiones Syriaca, & Arabica, quæ dimidium hoc hebdomadæ ab

hebdomada últimá, & ſeptuageſimá apertè diſtinguunt. Syriaca enim ſic habet:

ܘܢܩܝܡ ܕܝܬܩܐ ܠܣܓܝܐܐ. ܫܒܘܥܐ
ܚܕ ܘܦܠܓܗ ܕܫܒܘܥܐ ܘܢܒܛܠ
ܕܒܚܬܐ ܘܩܘܪܒܢܐ ܘܥܠ ܟܢܦܘܗܝ
ܕܛܢܦܘܬܐ ܚܪܒܐ Ideſt, *Et confirmabit pactum multis hebdomada una, & dimidium hebdomadæ, & ceſſare faciet ſacrificium, & hoſtiam, & ſuper alas abominationis deſolatio.*

Arabica autem: ويعظم الميثاق لكثيرين ولسابوع واحد ونصف سابوع تبطل الذبائح والقرابين وعلى كنفي الدنس الخراب ideſt, *Et confirmabit pactum multis, & ad hebdomadam unam, & dimidium hebdomadæ ceſſabunt victimæ, & oblutiones, & ſuper alas contaminationis deſolatio.*

Accedit denique, quod hac ratione ad verum ſenſum trahi poſſe eorum ſententia videatur, qui hebdomadam ultimam ad Jeroſolymitanum excidium, & eorum, qui ad Mundi finem referendam exiſtimant; quos inter Hippolytus, Africanus, & Apollinarius Laodicenus (y) ſi nempe de hoc, quod dicimus, dimidio utraque ſententia intelligatur:

(y) *Apud Hieronym. in cap. 9. Danielis.*

gatur: quod quidem dimidium & in Jeroſolymano excidio eſt completum, ut diximus: & in Mundi fine, atque excidio (cujus imago fuit excidium Jeroſolymæ) iterum complendum eſt. Nam tribus annis cum dimidio ſimiliter Antichriſti Bellum, & perſecutionem duraturam teſtantur ſacræ Literæ Dan. 12. 7. & Apoc. 12. 6.

Opponet fortaſſe quiſpiam ה he prefixum voci illi שביע *ſcabuah*, *hebdomadæ*, dum dicitur והצי השבוע, *Vabhatſi haſſcabuah*, quaſi huiuſmodi ה he relativum ſit, & dimidium appellet Hebdomadæ non cuiuſcumque, ſed Hebdomadæ illius, de qua dictum eſt paulo ante: *Confirmabit autem pactum multis hebdomada una*: quemadmodum, de voce שבועים *ſcabuhim*, *hebdemades*, cui ה he ſimile præpoſitum eſt, diximus Cap. 41. ubi ea verba, ואחרי השבועים ששים ושנים, *Veabharè haſſcabuhìm ſciſsìm uſcnàijm*: *Et poſt hebdomadas ſexaginta duas*, ita explicavimus: *E dopo* Le *ſettimane ſeſsantadue*.

At parum ponderis contra rationes hactenus allegatas hæc habet exceptio, nam licet ה he præfixum nomini, quod ab alio nomine regitur, ſubinde utroque fungatur munere, & Genitivum exprimendi nimirum, & referendi nomen cui præfigitur ad ſenſum præcedentem, ut accidit in textibus re-

relatis

relatis cap. 41. ſubinde tamen ſolam Genitivi exprimendi vim habet, ut exemplis innumeris oſtendi poteſt: Nam Eſth. 6. 1. dicitur, ויאמר להביא את ספר הזכרנות, *Vaijòmer lebavì & ſepher hazzicronòth*: *Et præcepit* (Rex) *afferri librum monumentorum*, ubi ה he præfixum voci illi זכרנות *zicronòth* ita Genitivum exprimit, ideſt, *Monumentorum*, Italicè *Il libro delle Memorie*, ut nullum includat ſenſum relativum, quaſi de re paulo ante memorata ſermo ſit, cum de monumentis hujuſmodi nulla paulo ante facta ſit mentio. Sed ne longius excurramus, in eo ipſo, de quo loquimur textu, ideſt, Dan. 9. v. 25. ſic habetur, ונבנתה רחוב וחרוץ ובצוק העתים: *Venibnethà rehbòb, vehharùts ubtſok habittim*: *Et ædificabitur platea, & foſſa in anguſtia temporum*, ubi ה he præpoſitum ſimiliter voci עתים *bittìm*, Genitivum quidem ſignificat, atque idcirco latinè vertitur *temporum* (Italicè, exprimentes ה he diceremus: *In anguſtia di tempi*) nec tamen vocem illam עתים, *bittim* refert ad precedentia, cum de temporibus anguſtię hujuſmodi obnoxiis, nihil memoret ſacer Textus in præcedentibus. Idem igitur & de ה he præfixo voci שבוע *ſcabuah*, *hebdomadæ* dicendum erit: præſertim cum argumentis tam validis, quæ hactenus enumeravimus, expoſitio propo-

ſita

Digitized by Google

ſita comprobetur. Maneat ergo inconcuſſum verba illa, *Et in dimidio hebdomadæ deficiet hoſtia, & ſacrificium*, ita eſſe exponenda, ut dimidium hujuſmodi extra 70. Hebdomadas habeatur, & ad Jeroſolymitani excidij tempora referatur.

CAPUT ULTIMUM

Epilogus.

PRobavimus ergo initium hebdomadum 70. incidere in annum Artaxerxis Longimani ſeptimum, Primò quidem ex confutatione anni 20. Secundò ex conſenſu Chronologiæ. Tertiò ex eo, quod in annum ſeptimum quadret *Exitus ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem*. Quartò ex anno Sabbatico. Quintò ex Jubileo.

Ad hæc rationem reddidimus, quare in 7. 62. & 1. Hebdomades ab Angelo diviſæ fuerunt.

Præterea eadem diviſione ſententiam, quæ anno æræ communis 29. Chriſti Domini mortem illigat, confirmavimus.

Denique viſione Lintei, per quam Apoſtolorum Princeps ad Evangelium Gentes admittere juſſus eſt, Hebdomadas terminari; dimidium autem hebdomadis, in quo

defe-

defectura dicitùr *hoſtia*, & *ſacrificium* , ad tempora Jeroſolymitani excidij pertinere oſtendimus. Λοιπὸν ἂν εἴη (ut verbis ijſdem, quibusOrganum a ſe inventum Philoſophus claudit , hanc claudamus diſputationem) πάντων τῶν ἀκροωμένων ἔργον τοῖς μὲν παραλελειμμένοις τῆς μεθόδου συγγνώμην, τοῖς δ᾽ εὑρημένοις πολλὴν χάριν ἔχειν: ideſt, *Reliquum eſt, ut quicumque hæc legerint, & audierint, illa quidem, quæ prætermiſſa hac in methodo fuerint, dignentur venia, ſi quid autem novi repertum eſt, id verò acceptum habeant.*

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERUM, ET VERBORUM NOTABILIUM.

A.

ÆDificatione civitatis non ſolum domos & mœnia, verum etiam cives ac leges contineri. pag. 39.
Ædificare Jeruſalem Judæis, ex Decreto Artaxerxis redeuntibus, licuiſſe jure Naturæ, jure Gentium, & jure Civili. 71. & ſeq.
Imo & jure Divino. 75.
Nec licuiſſe modò jure Divino, verùm etiam præceptum fuiſſe. 76.
Ædificandi facultatem quare in decreto ſuo non expreſſerit Artaxerxes. 78.
Æram communem annis 4. vel 5. anno Dominicæ Nativitatis poſteriorem eſſe, recentiores Chronologi ſentiunt. 35.
Antiochena Eccleſia quoto Chriſti anno fundata, ſecundum Euſebium. 149.
Annus Domini *Acceptus*, Iſaiæ 61. memoratus quid ſit. 131.
Annus duplex apud Hebræos, communis nimirùm, & ſacer. 117.
Utriuſque initium. ibidem.
Annus unus Olympiadicus, quippe qui æſtate incipit, cum duplici anno Juliano concurrit. 37.

Digitized by Google

Annus Jubileus quid. 116.
Annus Lunaris quot diebus conſtet. 9.
Annus Sabbathicus quid. 107.
Anni Sabbathici, de quibus conſtat, tres. 109.
Arabica verſio illorum Verborum: *Ab exitu ſermonis ut iterum ædificetur Jeruſalem.* 49. & 105.
Verſio Arabica dimidium hebdomadæ, in quo hoſtia & ſacrificium, Danielis 9. ceſſaturum prædicitur, ab Hebdomadis 70. diſtinguit. 156.
Artaxerxes Longimanus Perſarum Rex ſeptimus. 8.
Duplex ipſius Epocha, ſive duplex regnandi initium, quomodo probetur a ſuis Auctoribus. 10.
Impugnatur a Pererio, & Huetio. 24.
Nullum in ſcripturis habet fundamentum. 33.
Reijcitur. 14. & ſequentibus.
Et ſi duplex Artaxerxis Epocha admitteretur, adhuc annus ejus 20. ab epocha 2. ideſt, a morte Xerxis eſſet computandus. 14. & 28.
Artaxerxes Longimanus Jeruſalem ædificavit. 61.
Artaxerxem illum, cujus annus ſeptimus ab Eſdra cap. 7. memoratur, eſſe non poſſe, niſi Longimanum. 37.
Artaxerxis annus 7. & 20. in libris Eſdræ relati, a morte Xerxis ſunt computandi. 29.
Artaxerxis annus 7. concurrit cum anno 3. Olympiadis 80. ante Chriſtum 457. pag. 36. & ſequentibus.
Antichriſti perſecutio tribus annis cum dimidio duratura. 157.
Αὐτονομία quid. 64.

Ab

Digitized by Google

Ab Artaxerxe Judæis conceſſa. ibidem.
Αὐτονομία quanti ſit. 67.
Atnach accentus diſtinctivus non eamdem ſemper diſtinguendi vim obtinet. 136.
Idem in accentu Sillûk, ſive Soph-paſuk aliquando contingit. 138.
Quàm perperam nonnulli, ad ſeparandas 7. a 62. hebdomadis, ab accentu Atnach argumentum ducant. 136.

B

Batus quid. 68.

C

Terræ Chanaan poſſeſſio Abrahamo, & poſteris ejus a Deo jurejurando promiſſa. 77.
Judæorum & Samaritanorum characteres ante Eſdram ijdem. 90.
Chriſti Baptiſmus quoto Æræ communis anno contigerit. 100.
Chriſtus in Baptiſmate Dux a Patre publicè conſtitutus. 129.
Quomodo Chriſtus, qui inducitur Dux hebdomada 69. dicatur occidendus *Poſt hebdomadas* 62. 141.
Chriſti mors quoto Æræ vulgaris anno contigerit. 34.
Chriſti mors in dimidio hebdomadæ. 37.
Cimon quo tempore fuerit ab Athenienſibus in ducem delectus. 15.

Civile jus quale. 73.
Corus quid. 68.
Cyri duplex annus in Scripturis memoratus. 32.
Cyri duplex Epocha a Chronologis recepta. ibid.
Cyrus Jeruſalem quomodo ædificaverit. 61.

D

NUllus Prophetarum tam apertè, atque Daniel de Chriſto prædixit. 2.
Decretum, unde hebdomades inchoantur, & populi reditum, & Jeroſolymæ ædificationem debet continere. 51.
Decreta regum Perſidis circa rem Judaicam in Sacris literis tria. 52.
Quartum non rectè Decretum induci. 55.
Decretum Cyri. 52.
Decretum Darij. ibidem.
Decretum Artaxerxis. 53.
Artaxerxis Decretum Jeruſalem ædificandæ facultatem continet. 70.
Ad Decretum Artaxerxis unicè ſpectat *Exitus ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem.* 81. & ſequentibus.
Dum Decretum conderet Artaxerxes, in vivis Xerxem non fuiſſe, ex ipſomet Decreto colligitur. 29.
Deſolo quid propriè ſignificet. 43.
Deſtruere Civitatem quid ſit. 41.

Eſdras

E

ESdras Scriba Dei cæli doctiſſimus. 89.
Sacros libros reſtituit, & quomodo. ibidem.
Novos reperit characteres, quibus ſacri Codices ſcriberentur. 90.
Hebraicam rempublicam reſtituit. 85. & ſeq.
Ipſius opera uxores alienigenas, & liberos ex ijs ſuſceptos Judæi ex Babylone reduces dimiſere. 88.
Quomodo intelligenda ſint illa Verba Exod. 21. 6. *Et erit ei ſervus in ſeculum*. 127.
Expreſſio eorum, quæ tacitè inſunt, nihil operatur. 78.

G

GAbriel an per annos lunares hebdomadas computaverit. 11. & ſeq.
Gentium Jus quale. 72.
Jus gladij ab Artaxerxe Judæis conceſſum. 67.
Græca verſio illorum verborum: *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem*. 49.& 105.
Quomodo ſit exponendus textus ille Gen. 2. 24. *Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech vero ſeptuagies ſepties*. 119.

H

HEbdomades 70. inter omnia Danielis vaticinia præclariſſimum. 2.
Hebraica Perfidia eo vaticinio debellatur. ibidem.
Quanta ſit hujus Quæſtionis arduitas. 3.& ſeq.

Hebdomades Septuaginta ſunt annorum hebdomades, & annos conficiunt 490. 5.
Circa Chriſti mortem finem acceperunt. 6.
Earum initium determinare, difficillimum. 5.
Duplex eo de initio ſententia probabilior, ideſt, anni 7. & 20. Artaxerxis expenditur. 7.
Difficultas contra annum 20. ex chronologia. 8.
Duplex ejus ſolutio. 9.
Sed infirma. 11.
Ab anno ſeptimo ſunt inchoandæ. 83. & ſeq.
Hæc ſententia ratione chronologica evidens eſt. 38.
Hebdomadum initium concurrit cum cycli Jubilei initio, & finis cum cycli Jubilei fine. 120.
Earum ſectio in 7. 62. 1. difficultatem pariter, & myſterium continet. 122.
Sectio prima, ideſt, *ſeptem*, Jubileum indigitat. 126.
Sectio altera, ideſt, *Sexaginta duæ*, Jubilei promulgationem continet. 129.
Sectio tertia, ideſt, *hebdomada una*, Jubilei conſummationem includit. 133.
Hebdomades 70. a decreto Artaxerxis regis Perſarum initium, a Decreto Principis Apoſtolorum finem accipiunt. 150.
Hebdomadis dimidium de quo dicitur: *Et in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia &c.* extra hebdomadas eſſe, & ad Jeroſolymitani excidij tempora pertinere. 152.
Hebraicæ reip. regimen triplex. 85.
Hebraica reſp. ab Eſdra eſt reſtituta. ibidem.
Per ה He demonſtrativum quomodo exponantur ea Verba: *Poſt hebdomadas 62. occidetur Chriſtus.* 143.
Per

Per ה He demonſtrativum voci שבועים *Scabubim* Hebdomades, præfixum Gabriel brevitati pariter, & claritati conſuluit. 144.

I

JEroſolyma ab anno Artaxerxis 7. ad 20. inſtaurata. 91.

Jure Naturæ Gentium, & Civili licuit Judæis, ex Decreto Artaxerxis redeuntibus, Jeruſalem ædificare. 71. & ſeq.

Imo licuit Jure divino: eodemque jure præceptum fuit. 76.

Jus divinum quinque libris Moyſis continetur. 75.

Judæos per annos Solares tempora computaſſe. 11. & 13.

Judæis annorum hebdomadas anno Sabbathico claudere ſolemne fuit. 107.

Jubileus quid, & unde dictus. 116.

Ejus initium a menſe Tiſri. 117.

Annum Jubileum partim ad annum 49. partim ad 50. pertinere. 118.

Jubileum promulgare Chriſtus cœpit poſt Baptiſmum. 131.

Id vero Chriſtus ipſe teſtatur Luc. 4. ibidem.

L

LArgitiones Artaxerxis in rem Sacram, & Templum ampliſſimæ. 68.

Leges omnes derivantur a lege Æterna. 80.

להשיב *Lehaſcib*, tum per adverbium, tum per Verbum exponi poſſe. 48. & ſeq.

Quo-

M

Quomodo ſit exponendus textus ille Matth. 18. 21. *Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties*. 118.
Melchiſedech Jeroſolymæ conditor. 113.
Meſſias peccatorum remedium. 45.
Meſſias quomodo, & quando Jubileum promulgaverit. 130.
Mundi excidium in Jeroſolymitano excidio figuratum. 157.

N

Naxus quo anno fuerit ab Athenienſibus obſeſſa. 15.
Naturale jus quale. 71.
Nehemias anno Artaxerxes 20. abeundi in Judæam, non verò ædificandæ Jeroſolymæ facultatem petijt ab Artaxerxe. 59.
Niſan, menſis primus anni Sacri Judæorum, Martio Juliano reſpondet. 12.
Nomina Hebræis ſunt indeclinabilia. 97.
Numerus 490. remiſſionem in Scripturis ſignificat. 118.

O

Oratio Danielis cap. 9. contenta, non tam ædificationem domorum, & mœnium Jeroſolymæ ſpectat, quàm reſtitutionem legum, ac civium. 42. & ſeq.

Ex

Ex circumſtantia temporis, quo Daniel orabat, ibidem colligitur. 46.
Oratio Danielis fuit exaudita. 44.

P

PAſcha quo menſe ac die celebrare Judæi tenerentur. 12.
Pererius anni 20. propugnator anno ſeptimo favere chronologiam fatetur. 38.
Pactum a Daniele inſinuatum, dum ait: *Confirmabit autem pactum multis &c.* novum Teſtamentum ſignificat. 146.
Quando, & quomodo illud Chriſtus confirmaverit. 147.
Poſtliminium quid. 72.
Judæis ex Decreto Artaxerxis redeuntibus poſtliminio licuit Jeruſalem ædificare. 73.
Præceptorum genus triplex in veteri lege. 64.
Prolepſis figura hiſtoricis uſitata. 23.
Diodorus, per Prolepſim, multa ad Themiſtoclem ſpectantia, licet temporibus diſſita, in unum eumdemque annum conjecit. 23.

R

REpudia uxorum apud Hebræos uſitata. 89.

S

SAlmeronis contra annum 7. objectio. 110.
Solvitur. 112.
Scripturam per annos Solares Chronologiam ducere oſtenditur. 117.
Sermo

Sermo de Jeruſalem iterum ædificanda in ſolum Artaxerxis Decretum quadrat. 82.
Series annorum Sabbathicorum. 114.
Series Iubileorum. 121.
Siclus quid. 68.
שוב *Scub* tum *converti*, tum *quieſcere* ſignificat. 98.
Superfluum eſt precibus poſtulare, quod jam legibus permiſſum eſt. 79.
Syriaca Verſio illius textus: *Ab exitu ſermonis ut iterum ædificetur Jeruſalem*. 48. & 104.
Syriaca Verſio dimidium hebdomadæ in quo *Hoſtia*, & *Sacrificium ceſſaturum* prædicitur ab Hebdomadis 70. diſtinguit. 156.

T

Talentum quid. 68.
Templum Ieroſolymitanum a Romanis everſum anno Æræ communis 70. 153.
Templum, nolente quamvis, & prohibente Tito, combuſtum. 154.
Themiſtocles regni affectati inſimilatus in exilium pellitur per oſtraciſmum, deinde capitis damnatur. 19.
Themiſtoclis geſta poſt oſtraciſmum. 19.
Thucydides tradit Themiſtoclem, dum fugeret, ab Artaxerxem Xerxis filium dediſſe literas. 19.
Themiſtoclis mortem per occaſionem belli adverſus rebellantem Ægyptum ab Artaxerxe geſti accidiſſe Plutarchus tradit. 20.

Quare

Quare Diodorus in anteriora tempora Themiſtoclis fugam, & mortem conijciat .. 23.

V

VAu copulativum ſæpe in ſcripturis redundat, additurque per pleonaſmum. 103.
Viſio lintei Principi Apoſtolorum exhibita Actorum 10. Hebdomadas claudit. 147.
Uxores alienigenæ, Eſdra adhortante, a Judæis Babylone redeuntibus dimiſſæ. 88.

FINIS.

Errata

Digitized by Google

	Errata	*Corrige*
Pag. 3. l.11.	impingit.	*lege*, Incurrit.
Pag. 16. l.21.	Arttaxerxes.	Artaxerxes.
Pag. 25. l.26.	Artoxerxi.	Artaxerxi.
Pag. 42. l. 5.	Propheta.	Prophetam.
Pag. 44. l. 3.	facimus.	ſecimus.
Pag. 82. l.22.	reſtituti.	reſtitui.
Pag.125. l. 2.	Prohana.	Prophana.
Pag.132. l. 7.	conſonat.	conſonant.
Pag.150. l. 1.	Atqua.	Atque.
Pag.150. l.6.	Meſſiiam.	Meſſiam.
Pag.157. l.2.	Jeroſolymano.	Jeroſolymitano.

Digitized by Google

APPENDIX

Ad Diſſertationem de 70. Hebdomadis.

CAPUT PRIMUM

Nicolai Abrahami de 70. Hebdomadis ſententia expenditur.

PUerat Opuſculum hoc jam prælo ſubductum, & prope jam erat, ut in lucem prodiret; cum forte fortuna in manus incidit noſtras Volumen Pariſiis editum anno 1648. in quo hac de Prophetia diſceptatur, nobis antea non viſum. Et ſi enim plurium annorum curriculo plures ut Auctores, ea ſuper re, cognoſceremus fieri potuit, tamen, ut omnes cognoſceremus, fieri planè non potuit. Inſcribitur Volumen hujuſmodi: *Pharus veteris Teſtamenti, ſive Sacrarum Quæſtionum libri XV. Authore Nicolao Abrahamo Societatis Jeſu, in Univerſitate Muſſiponti Sacrarum literarum Interprete*. In eo Vir cum primis doctus, atque eruditus, ut ex hoc ipſo, cæteriſq;ab ipſo editis operibus (quo-

rum catalogum exhibet noſter Nathanael Sotuellus) ([a]) licet deprehendere, hanc inter cæteras quæſtionem de 70. Hebdomadis, duobus libris poſtremis Phari ſui, diligenter verſat, & pro ſententia, quam propugnamus, & contra eamdem, libro præſertim 15. talia dicit, quæ nullo modo diſſimulanda videantur. In primis ergo libri modò dicti §.16. hunc præfigit titulum: *Expenditur veroſimilior ſententia Septuaginta Hebdomadas ab Eſdra, & anno Artaxerxis 7. inchoandas.* Deinde, ut poſitam pro titulo opinionem confirmet, tria proponit enucleanda. 1. *Quid ſit apud Hebræos ædificare* 2. *Quid ædificare Jeruſalem*. 3. *Quid iterum ædificare Jeruſalem*.

([a]) *In Bibliotb. Scriptorum S.J.*

Quod ad primum ſpectat, duplicem ait eſſe apud Hebræos ædificandi acceptionem, in quarum altera hoc verbum *Ædifico* ſignificat ædificium extruere, jacere fundamenta, parietes excitare, & cætera id genus. In altera ſignificat dare liberos, augere familiam, ſtabilire domum, vel Civitatem prole copioſa. Sobolem enim numeroſam eſſe quaſi lapides vivos, quibus tum Civitas ipſa, tum ſingulæ domus, ſeu familiæ conſtruuntur. Sic Deuteron. 25. de eo, qui non vult fratris ſui defuncti abſque liberis, ut ibidem lege præcipitur, uxorem ducere, dicitur

v. 9.

v. 9. *Si reſponderit, nolo eam uxorem accipere: accedet mulier ad eum coram ſenioribus, & tollet calceamentum de pede ejus, ſpuetque in faciem illius, & dicet: Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui*. Similiter Ruth 4. 11. dicuntur Rachel & Lia *Ædificaſſe domum Iſrael*. Et Exod. 1. 21. Deus dicitur obſtetitricibus Ægyptijs, *Domos ædificaſſe, quia timuerunt Deum*. Quam loquendi formam 1. Reg. 2. 35. & 2. Regum 7. 27. & alibi reperias.

Quod ad alterum attinet: *Jeruſalem*, inquit, vel Urbs ipſa, vel Civitas poteſt intelligi. Urbes conjunctis domicilijs, ſive privatis, ſive publicis continentur: Civitates ſunt concilia; cœtuſque hominum ad communem utilitatem, & ut loquitur Ariſtoteles, (*b*) Αυτάρκειαν, ideſt, ſufficientiam jure ſociati. Hinc ædificaſſe Jeruſalem dicetur, & qui plura domicilia conjuncta, viciſque deſcripta Jeroſolymitanis civibus excitarit, & qui civium multitudinem, quæ prius diſperſa fuerat, unum in locum congregarit, & prolem copioſam urbi ſuffecerit. Qui verò Urbem mœnibus ſepſerit, foſſis, turribus, & propugnaculis circumdederit, ſi propriè loqui velimus, non dicetur Urbem, aut Civitatẽ ædificaſſe, ſed Urbẽ muniviſſe: cum & Urbs ſine

(*b*) 1. *Polit. cap.* 2.

muro, & Civitas ſine Urbe poſſit aliquando reperiri. Quemadmodum Roma, & Sparta diu mœnibus caruerunt. Et, ingruentibus Perſis, Athenienſes Apollinis oraculo moniti, τεῖχος ξύλινον μοῦνον ἀπόρθητον τελέθειν, ideſt, *Solum murum ligneum inexpugnabilem fore*; Urbem incendio Perſico deflagraturam reliquerunt, Civitatem omnem, ſe ipſos videlicet, conjuges, liberoſque in naves, quas interpretabantur murum ligneum, tranſtulere. Neque enim Civitates, aut populi propter Urbes, & domicilia, ſed domicilia propter populos ſunt inſtituta. Quo fit, ut ille ſermo, qui de convocandis, reducendiſque Judæis exivit, non minus ad ædificationem Jeroſolymæ pertineat, quàm qui de domicilijs extruendis emiſſus eſt. Præſertim cum idem regis Edictum, quod exulibus reditum in patriam domicilijs carentem indulget, ijs etiam excitare domicilia, & cætera moliri permittat, quæ cum reditu ſunt neceſſariò connexa. Nam *Qui dat eſſe*, ſecundum philoſophicum Axioma, *dat etiam conſequentia ad eſſe*.

Jam verò, pergit, ut tertium explicet; Judæorum in gratiam quatuor a regibus Perſarum Decreta exierunt. Primum a Cyro in hæc verba conceptum (c) *Quis eſt in vobis de univerſo populo ejus? Sit Deus illius cum*

(c) 1. Eſd. 1.

cum ipſo. Aſcendat in Jeruſalem, quæ eſt in Judæa, & ædificet domum Domini Dei Iſrael. Quibus verbis reſtituuntur exules, inſtauratur civitas, & e gentibus, in quas diſperſa fuerat, unum in locum congregatur: ædificandi Templi fit poteſtas, & Urbis ædificandæ tacita facultas involvitur. Unde & Iſaias cap. 45. 13. ita de Cyro vaticinatur: *Ipſe ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet*. Cyrus autem Civitatem ædificaſſe non eſt dicendus ex eo, quod de Templo ædificando edixerit (Templū enim, ſi propriè loquamur, neque Urbs, neque Civitas dici poteſt) ſed ex eo, quod Judæos unum in locum e diverſis gentibus congregari, &, quod neceſſariò connexum fuit, domicilia conjuncta privatis uſibus ædificare permiſerit. Qui, niſi privatas ædes excitaſſent, ab Aggæo Propheta anno ſecundo Darij non audiſſent: (d) *Numquid tempus vobis eſt, ut habitetis in domibus laqueatis, & domus iſta deſerta?*

(d) Cap. 1. 4.

Secundum Decretum eſt Darij Hyſtaſpidæ, quo ampliſſimam facit Templi ædificandi poteſtatem. Sed, cum de convocandis Judæis, & ædibus extruendis dixerit omnino nihil; propterea Darius aut Civitatem, aut Urbem iterum condidiſſe dici non poteſt,

Ter-

Tertium eſt, quo rex Artaxerxes dedit Eſdræ ſecundum manum Domini Dei ejus ſuper eum omnem petitionem ejus, eique in hæc verba reſcripſit: (e) *A me decretum eſt, ut cuicumque placuerit in regno meo de populo Iſrael, & de Sacerdotibus ejus, & Levitis ire in Jeruſalem, tecum vadat*. Quibus verbis Civitatem, prius Cyri edicto reſtitutam, *Iterum ædificavit*, novamque Sobolem ei ſuffecit, quos certè nolebat in dolio cum Diogene, ſed in conjunctis domibus habitare. Atque hic videtur eſſe, *Exitus ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem*: licet de reficiendis portis, aut Urbe mœnibus ſepienda nihil edixerit.

(e) 1. Eſd. 7.

Quod ad Nehemiam attinet, petijt ille quidem a rege commeatum ad Civitatem ſepulchri patris ſui, eamque ſe ædificaturum eſſe profeſſus eſt; ſed Urbis ædificandæ poteſtatem, quam jam inde a Cyro conceſſam, & ab ipſo Artaxerxe renovatam eſſe noverat, fieri ſibi non petijt. Itaque *Exitus ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem*, & iterata Judæorum convocatione, populis, tamquam vivis lapidibus, excitetur; Artaxerxis decretum eſt, quo fretus Eſdras, anno ejuſdem regis 7. reliquias populi, quæ hactenus inter Babylonios, Perſaſque ſubſederant, iterum collegit, atque *Iteratò*, Perſarum

rum

rum regum indulgentiâ, *condidit civitatem*. Hic itaque eſt *Exitus ille ſermonis*; unde 70. caput Hebdomadum accerſendum putamus.

Quod ſi quis inficiaretur, ſubjungit, hanc Civitatis ædificationem civium reductione, & reditu contineri, nemo prohiberet e textu Principe (Hebraico nimirum) atque ex interpretatione 70. Seniorum aliquam latinæ translationi lucem afferre. *Ab exitu ſermonis* להשיב ולבנות *lebaſcib*, *velibnoth*, ideſt, *Ad reducendum*, *ſive ad reverti faciendum*, & *ædificandum*, legimus in Hebræo. In Græco autem *Ab exitu ſermonis* τῦ ἀποκριθῆναι καὶ οἰκοδομῆσαι, ideſt, *Separandi & ædificandi*. Eſt enim ἀποκριθῆναι non ſolum *Reſpondere*, ſed ſecundum primariarum notionem χωριϑῆναι τῦ ὁμίλυ, *A turba ſeparari*, & *ſecerni*, ut notat Euſtathius Iliad.lib.5.v.12. Separata eſt porro, & ſecreta Judæorum Civitas, cum Cyri, atque Artaxerxis edicto ſemel, atque iterum e varijs nationibus eſt congregata. Quia tamen illa populi reductio duplex fuit, altera ſub Cyro, altera ſub Artaxerxe; prudenter Latinus Interpres, ne lectorē vocis ambiguitate confunderet; priorem a poſteriori diſtinxit, & Hebdomadas ab iterata, ſive ſecunda reductione numeravit.

Hæc

Hæc fere prædictus Auctor: In rem noſtram ſanè, ſi quædam excipias, peropportunè. Excipimus primò, quod ait, quatuor, Judæorum in gratiam, a regibus Perſarum Decreta exiſſe. Tria enim, non verò quatuor fuiſſe Decreta hujuſmodi capite 15. & 16. luculenter oſtendimus. Excipimus deinde, quod Civitatem Jeruſalem, Edicto Cyri prius reſtitutam, Edicto deinde Artaxerxis iteratò ædificatam fuiſſe contendit. Si enim ædificium Cyri, & Artaxerxis aliud, atque aliud ſtatuatur; Jeruſalem Artaxerxis Decreto non *Iterum*, ſed *Tertiò* ædificatam fuiſſe dicendum erit, ut oſtendimus cap.33. pag. 113. Quandoquidem ædificatione per Cyrum facta prior eſt ædificatio alia, per quam a Melchiſedecho ipſius Conditore primùm, deinde a regibus Juda, David præſertim, & Salomone, tum Urbs, tum Civitas Jeruſalem eſt ædificata. Civitas quidem adjectis civibus, & poſitis legibus: Urbs verò ædificijs tum privatis, tum publicis auctis, atque amplificatis. Nam David, ut dicitur 2. Reg. 5. 9. *Habitavit in arce, & vocavit eam, Civitatem David: & ædificavit per gyrum a Mello & intrinſecus.* Salomon autem, ut dicitur 3.Reg.11. 27. *Ædificavit Mello, & coæquavit voraginem Civitatis David patris ſui.*

Quare

Quare dicendum videtur, Jeruſalem ædificatam quidem a Cyro fuiſſe, permittendo ſcilicet Judæis ut redirent,& Jeruſalem ædificarent: atque ea ratione impletum dictum propheticum Iſai.45. 13.*Ipſe ædificabit Civitatem meam*; tamen ædificationem hujuſmodi non perfectam, ſed inchoatam, & ab hoſtibus Judæorum, in circuitu commorantibus, identidem impeditam: atque adeo productam fuiſſe uſque ad tempora Artaxerxis Longimani, qui, miſſo Nehemia, & per eum, muro exædificato, ſupremam operi manum impoſuit. Ædificationem proinde a Cyro inchoatam, & ab Artaxerxe abſolutam, tamquam unicam ejuſdem Jeroſolymæ ædificationem eſſe accipiendam, atque Artaxerxi potiùs,quam Cyro tribuendam:quòd operis abſoluti, non tam qui illud incepit, quàm qui ad exitum perduxit, Auctor cenſeatur.

Deinde aliud eſt *Jeruſalem ædificare*, aliud, *ut Jeruſalem ædificetur decretum facere*. Poteſt enim Jeruſalem ædificari, nullo præeunte Decreto: Rurſus poteſt de Jeruſalem ædificanda Decretum fieri, nullo ſubſequente Ædificio. Iſaias autem cap.45. v.13. non dixit de Cyro: *Ab ipſo exibit ſermo, ut ædificetur Civitas mea*, ſed dixit: *Ipſe ædificabit Civitatem meam*. Itaque Verba illa: *Ab*

exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem, non ad Decretum Cyri, in quo de Jeruſalem ædificanda expreſsè nihil dicitur, ſed ad Decretum Artaxerxis, in quo de Jeruſalem ædificanda expreſsè edicitur, ſunt referenda. Angelus enim, ut pag. 60. & pag. 95. monuimus, non *Ab ædificatione*, ſed *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem*, Hebdomadas inchoandas ſtatuit. Porro in Artaxerxis decreto, de Jeruſalem ædificanda expreſsè edici, eſt manifeſtum: nam expreſsè edicitur de ædificatione Civitatis, dum reducitur populus, & redditur Autonomia: de Urbis autem ædificatione, ut expreſsè edicatur, non eſt neceſſe: quandoquidem ædificatio Urbis ad Civitatis ædificationem (ut Abrahamus ultro fatetur, & nos cap. 10. & ſequentibus oſtendimus) conſequens eſt.

Falsò itaque ſibi hic Auctor aſſumit, Latinum Interpretem, dum vertit: *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem*; priorem populi reductionem ſub Cyro factam, a poſteriori facta ſub Artaxerxe diſtinguere voluiſſe, atque Hebdomadas ab iterata, ſive ſecunda reductione populi numeraſſe. Nam Latinus Interpres non ab iterata populi reductione, ſed ab iterata Jeroſolymæ ædificatione hebdomadas numeravit.

Digitized by Google

vit. Poteſt autem iterata Jeroſolymæ ædificatio,ſive iterata populi reductione optimè intelligi. Si nempe Urbis everſæ, atque Autonomiæ ſublatæ, manente populo; reſtitutio facta intelligatur.

Ad hæc Latinus Interpres inde debuit Hebdomadas numerarare, unde eas numerari admittit Hebraicus Textus. Hebraicus autem Textus:מן מצא דבר להשיב ולבנות ירושלם *min motſa dabar lehaſcib, velibnoth Jeruſcalaim*;ab iterata populi reductione Hebdomadas numerari minimè admîttit. Si enim eam vocem להשיב *lehaſcib*,vertas *Iterum*,ut vertit Latinus Interpres, & dicas: *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem*; nulla hîc ſive iterata, ſive prima, unde Hebdomades numerentur, populi reductio apparet: Si verò להשיב *lehaſcib* vertas, *Ad redire faciendum*, ſive *Ad ſeparandum*, ut vertunt Septuaginta, & dicas, *Ab exitu ſermonis ad redire faciendum, & ædificandum Jeruſalem*; hîc quidem exprimitur populi reductio, ſed non iterata. Ut enim iterata populi reductio exprimeretur, addenda fuiſſet vox hæc שנית *ſcenith*, *Iterum*, atq;dicendum:מן מצא דבר להשיב שנית ולבנות ירושלם *min motſa davar lehaſcib ſcenith, velibnoth Jeruſcalaim*: *Ab exitu ſermonis ad iterum redire faciendum, & ædificandum Jeruſalem.*

Digitized by Google

Uno verbo, vox hæc להשיב *lehaſcib*, hoc loco, alterutrum, ideſt, vel *Iterum*, vel *Ad redire faciendum* ſignificare poteſt: Utrumque, ideſt, *Ad iterum redire faciendum*, ſignificare planè non poteſt.

Cætera, quæ hic Auctor producit, ut initium Hebdomadum ab anno Artaxerxis Longimani 7. atque adeo ab ejus Decreto, per idem tempus lato, deſumendum probet; præſertim verò quæ de duplici ſignificatione Verbi *Ædifico*, apud Hebræos uſitata; & de ædificio duplici Urbis, & Civitatis; tamquam apprimè cum ijs congruentia, quæ a cap. 10. ad 16. pluribus diximus, libenter amplectimur. Atque utinam ſibi ipſe conſtaret, & quam fuerat ſubodoratus veram, ac genuinam Problematis difficillimi enucleandi rationem, perſecutus fuiſſet. Cæterum quàm parum ſibi ipſe conſtet, &, quæ hactenus conſtruxit, qua ratione deſtruat deinde, atque ſubvertat, planum fiet ex dicendis.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM

Poſitum ab Abrahamo in anno Artaxerxis 7. initium Hebdomadum cum ſententia ejuſdem de anno Baptiſmatis, & mortis Chriſti pugnare oſtenditur.

POſtquam, rationibus ductis ex Sacro Textu, §.15. hic Auctor oſtendit, ab anno Artaxerxis Longimani 7. Hebdomadas eſſe inchoandas, pergit, & §. 16. ſententiam eamdem ratione chronologica nititur confirmare. Cum enim Artaxerxes Longimanus, inquit, anno 4. Olympiadis 78. (*f*) regni ſuſceperit gubernacula; annum Artaxerxis 7. cum anno 2. Olympiadis 80. concurrere conſequens eſſe. Quod ſi ab hoc anno 2. Olympiadis 80. annos 490. ſive Olympiades 122. cum dimidia numerentur, ad annum 4. deveniri Olympiadis 202. quo anno Chriſtum in crucem eſſe ſublatum pleroſque omnes affirmare, quorum ſeries apud Baronium, Salianum, & alios bene longa contexitur. Unde colligit, Hebdomadum 70. (quæ, juxta communem ſententiam, in morte Chriſti Domini finem accipiunt) rectè poſitum fuiſſe initium in anno Longimani 7. a quo

(*f*) *Ex Diodoro lib.* 11.

a quo anno, ad Chriſti mortem, Hebdomades 70. ideſt anni 490. ſive Olympiades 122. cum dimidia colliguntur.

Quia tamen, ſubjungit, plerique Patres die Januarij 6. Baptiſma Chriſti conſignant, idque duobus Geminis Conſulibus factum eſſe defendunt; & viri eruditi diſputant, his Conſulibus Olympiadem 202. ſexto poſt Chriſti Baptiſma menſe, fuiſſe celebratam: diebus videlicet æſtivis, circa Solſtitij plenilunium; vel dicendum eſſe, Chriſtum annis quatuor, & menſibus tribus Evangelio dediſſe operam, ut Chriſti mors Olympiadis illius 202. anno 4. reſpondeat; vel ad annum 3. eam mortem eſſe revocandam, & Hebdomadas ab Olympiadis 80. anno 1. qui Longimani ſextus fuit, eſſe inchoandas: quo anno verè, propriè que, ut verba ſonant, exivit ſermo regius, ut cuicumque placuiſſet de populo Iſrael, ire in Jeruſalem, cum Eſdra rediret.

Poſt hæc §. 19. Cui titulus: *Quo ſenſu in media Hebdomada hoſtia defeciſſe dicatur*; reſpondet ex Suarez in 3. p. diſp. 1. ſect. 2. Dimidium Hebdomadæ dupliciter ſumi poſſe, vel, ut ſit prima dimidia pars Septuageſimæ Hebdomadæ, vel, ut intelligatur eſſe poſterior dimidia pars, ita ut ultima Hebdomada in duas dimidias partes dividatur, & in

Digitized by Google

& in prioribus,vel poſterioribus tribus annis intelligatur futura confirmatio Evangelij,per Chriſti prædicationem, uſque ad mortem ejus: & juxta priorem ſenſum, aliquot annis (ideſt, dimidia Hebdomada) poſt mortem Chriſti, juxta poſteriorem verò, in ipſa Chriſti morte Hebdomadas terminari.

Addit deinde, ſe non ſolum utramque expoſitionem amplecti, ſed etiam his tertiam adjungere, ut videlicet *Dimidium Hebdomadæ* ſumatur pro annis illis, & menſibus, quos Evangelicæ prædicationi Chriſtus impendit: ſive primum, ſive medium, ſive poſtremum hebdomadæ ſeptuageſimæ locum occuparint. De primo, & poſtremo Suarez audivimus. Medium dicit, ſi, verbi cauſa, anno illius ſeptennij 2. novam legem confirmare miraculis, Evangelijque prædicatione Chriſtus occœperit, 5. vel etiam 6. in crucem fuerit elatus. Ex hac enim interpretatione triplici opiniones omnes, quæ modò probabilitatis habent aliquid, ad veram Chronologiam exigi, atque inter ſe poſſe facilè conciliari.

Unde concludit, Hebdomadum tria aſſignari initia poſſe, vel annum 6. Artaxerxis, quo Sermo regius exivit, ut iterum ædificetur Jeruſalem, vel 7. quo Judæi, poſtliminio reſtituti, cum Eſdra in patriam redie-

redierunt, vel 8. quo reduces in ipſa Urbe, vel in vicinis pagis,& oppidis certum,ac ſtabile domicilium habere cœperunt.

Jam verò hujus Auctoris ſententia de anno Dominicę Paſſionis,cum anno 4.Olympiadis 202. illigatæ,reijcitur, quòd ex ea, annos 37. vel certe 36. Chriſtum Dominum in mortali carne vixiſſe, conſequens ſit. Cum enim natus ſit Chriſtus in diebus Herodis regis, ex Matth. 2. 1. Herodes autem mortuus ſit, ut apud modernos Chronologos compertum eſt,anno Juliano 42. fateri oportet Chriſtum, vel anno Juliano 40. vel certè 41. natum fuiſſe. Itaque, ſi mortuus eſt anno 4.Olympiadis 202. ideſt, anno Jul.77. annis ſolidis 37. vel certè 36. eum in terris verſatum fuiſſe dicendum erit. Quod cum communi traditione pugnat, quæ annis 33. mortalem Chriſti Domini vitam definit. Herodem porro mortuum eſſe anno 42. Iuliano ſic conficitur.Ex communi enim Hiſtoricorum conſenſu hic Princeps 37. regnavit annos. Quare, cum regnare cœperit anno Iuliano 6.conſequens eſt, ut anno Iuliano 42. mortem objerit. Herodem verò regnare cœpiſſe anno Iul.6. Urbis cond. 714. C. Domitio Calvino, & C.Aſinio Pollione Coſſ.regno Iudææ,per Senatus conſultum,ſibi a Romanis tradito, tradit Ioſephus lib. 14. Antiq.

cap.

cap.16. quem ſequuntur Chronologi recentiores quàm plurimi . Deckerius in primis apud Suslygam in Theorematis, M. Antonius Cappellus de Cœna Chriſti Suprema, Torniellus ad annum M. 4014. n.4. Petavius lib. 10. de Doctr. Temp. c.65. Uſſerius in Annalibus ad annum ante Chriſtum 38. Calviſius in Iſagoge Chronol. ad annum M.3910. Keplerus de Vero anno Chriſti Natalitio, Tirinus in Chronico Sacro cap.45. Natalis Alexander tom.3. Hiſt. Eccl. diſſ. 2. quæſt. 1. & alij non pauci .

Atque hinc ſimiliter ejuſdem Auctoris ſententia de anno Baptiſmatis infirmatur dupliciter. Primò enim, ſi Chriſtus natus eſt anno Iuliano 41. baptizatus autem duobus Geminis Conſulibus, ideſt, anno Iuliano 74. dicendum erit, eum anno ætatis ſuæ 34. ad Baptiſmum acceſſiſſe. Quod Evangelio Lucæ cap.3. 23. repugnat, in quo Chriſti ad Baptiſmum accedentis ætas definitur annis 30. *Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta.*

Infirmatur ſecundò ex textu Danielis: Nam *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem, uſque ad Chriſtum Ducem* (ideſt, uſque ad Chriſti Baptiſmum, ut oſtendimus cap.37.) *hebdomades 7. & hebdomades 62.*, ideſt, hebdomades 69. ſive anni 483. numerantur. Si autem ab anno Artaxerxis 7.

qui eſt ante Chriſtum 457. Hebdomades inchoentur, atque annis 457. addantur anni Æræ communis 29. (anno enim Æræ communis 29. reſpondet Conſulatus Geminorum, cum quo Chriſti Baptiſmum hic Auctor conjungit) fient anni non 483. ſed 486. atque adeo dimidium hebdomadæ, tres anni ſcilicet, redundabunt. Quod prophetico Textui, in quo non ſolum integræ, ſed etiam dimidiæ Hebdomades computantur, apertè repugnat.

Quod autem, ut memoratam de Chriſti Baptiſmo ſententiam tueatur, eo adigitur, ut dicat, vel Chriſtum annis 4. cum 3. menſibus Evangelio operam dediſſe; vel certè anno 3. Olympiadis 202. mortem obijſſe; utrumque quàm ſit abſurdum nemo non videt. Primum quidem, quòd traditioni, vulgò receptæ, de tribus annis prædicationis adverſetur: Alterum, quod Chriſti mortem, cujus annum determinare, ut Chronologis conſtat, provincia ſit uſque adeo difficilis, & operoſa; ab uno anno tam facilè ad alium transferat. Præſertim cum aſſerat, ut paulo ante audivimus, *pleroſque omnes* anno 4. Olymp. 202. mortem Chriſti Domini conſignare. Quæ tamen aſſertio (pace Eruditi Viri dixerim) videtur nimis univerſalis. Cum mortem Chriſti anno 1. hujus Olym-

Olympiadis(ideſt anno Æræ communis 29.) affigant multi ex veteribus Patribus præſertim verò Tertullianus lib. contra Iud. cap. 8. Hippolytus in Canone Paſchali, Lactantius lib. 4. Inſtitut. cap.10. Auguſt. lib. 18. de Civit. Dei cap. ultimo, Hieronymus in cap. 9. Danielis. Iulius Africanus ibidem, Severus Sulpitius lib. 2. Hiſtoriæ Sacræ. Quos ſequuntur ex recentioribus Gerardus Voſſius de tempore Dominicæ Paſſionis, Card. Noriſius in Cenotaphijs diſſ.2. cap.16. §.12. Scheleſtrate tom. 1. Antiq. diſp. 1. cap. 4. Pagius in Critica, Guillelmus Bonjour in Calendario, Ignatius de Graveſon de Myſterijs & annis Chriſti diſſ. 15. §.2. & alij.

Quomodo ſit intelligendum illud: *In dimidio Hebdomadæ deficiet hoſtia, & ſacrificium*, expoſuimus cap.43. ubi oſtendimus tale dimidium extra Hebdomadas 70. collocandum, & ad Jeroſolymitani excidij tempora eſſe referendum. Cæterum, & ſi illud ad Hebdomadas 70. ponamus pertinere, non idcirco poterit, pro libito, quælibet ex tribus illis ſententijs admitti, ſed ea tantum, quæ dimidium hujuſmodi facit Hebdomadæ Septuageſimæ dimidium primum. Cum enim Chriſtus Dux, atque adeo Chriſti Baptiſmus cohærere debeat cum fine Hebdomadæ 69. ut poſtulant ea verba,

Uſque ad Chriſtum Ducem Hebdomades 7. *&* *hebdomades* 62. ad ſolum dimidium primum Hebdomadæ Septuageſimæ, quod cum fine 69. Hebdomadę conjungitur, Chriſti prędicatio dimidio illo comprehenſa, referri poteſt.

Quod autem, ex triplici illa opinione de dimidia Hebdomada, ducit Corollarium dum ait, Hebdomadum 70. tria poſſe aſſignari initia, ideſt, annum 8. vel 7. vel 8. Longimani; ſimile eſt, ac ſi quis triplex Hebdomadæ dierum, ideſt, diem Dominicam, vel diem Lunæ, vel diem Martis initium faceret. Unicum itaque Hebdomadum 70. initium ſtatuendum eſt. Cum enim Hebdomades annorum claudantur, ut cap. 33. oſtendimus, anno Sabbathico; ille annus dumtaxat poteſt Hebdomadæ annorum initium dici, qui annum Sabbathicum primus conſequitur: quemadmodum, quia hebdomades dierum clauduntur die Sabbathi, ille dies dumtaxat, qui diem Sabbathi proximè ſequitur, poteſt initium dici hebdomadæ dierum. Quare cum Sabbathicus fuerit, ut ex eodem cap. 33. patet, annus ante Chriſtum 458., unicus annus 457. qui proximè illum conſequitur, initium Hebdomadum 70. dicendus eſt. Atque eadem ratione unicus annus Æræ communis 33. qui ſeptimus, & Sabbathicus eſt Hebdomadæ Septuageſimæ,

(ut

(ut annorum Sabbathicorum ſeries eodem capite digeſta oſtendit)Septuaginta Hebdomadum finis ſtatuendus eſt.

Qui in Hebdomadum Initio, & fine conſtituendo uſque adeo aberrat a Vero, non minus aberrat in medio, ideſt, in diviſione illa, *Hebdomades ſeptem*. Libro enim 14. §.21. ubi de hac diviſione inquirit, hæc ſtatuit. Qua tempeſtate venit Nehemias in Iudæam, rurſum ædificaturus plateam, & muros civitatis, Eliaſib ſummum Sacerdotium obtinuiſſe (Eſd. 2. cap. 3.) Huic nepotem fuiſſe, quem Ioſephus (g) Ioannē, Nehemias Eſd. 2. cap. 12. v. 10. Ionathan appellat. *Joſue genuit Jojacim, & Jojacim genuit Eliaſib, & Eliaſib genuit Jojada, & Jojada genuit Jonathan.* Fratrem huic fuiſſe, cui nomen erat *Jeſus*, qui cum alienigenarū amicitia fretus, ſummum Sacerdotium ad ſe transferre moliretur, orta inter fratres altercatione, in ipſo Templo, Ionathani manu, perſummum parricidium, ac ſacrilegium occiſus eſt. Bagoſem, Perſici exercitus Imperatorem, id ubi reſcivit, ſuperveniſſe, atque Iudæis iratum, Templum violenter ingreſſum eſſe. Neque verò ingreſſu ſuo Templum polluiſſe contentum, tributa prȩterea Iudæis impoſuiſſe, ut ſcilicet priuſquā quotidianas hoſtias (hoc eſt luge Sacrificium) immolarent; in ſingu-

(g) *Lib.* 11. *Antiq. c.* 7.

ſingulos agnos, ex publico, 50. drachmas penderent. Tum *Vides*, inquit, *Chriſti figuram non primis lineamentis adumbratam, ſed vivum ſpirantemque veritatis effigiem. Jeſus uterque nominatur, uterque gentibus amicitia conjungitur, altercatur uterque de Sacerdotio transferendo, alter cum fratre natu majori, alter cum veteri Synagoga: uterque a fratribus occiditur. Ob alterius cædem Templum polluitur, ob necem alterius Civitas, & Sanctuarium diſſipatur. Ob alterius cædem offerendi jugis Sacrificij poteſtas pretio redimitur, ob necem alterius juge Sacrificium legis antiquæ penitus abolctur. Illius interitu gentiles ingrediuntur Templum, hujus obitu convocatur in Eccleſiam gentium plenitudo. Atque prius illud parricidium in hebdomadis ſeptimæ finem (aut certè non multo ſecus) incidiſſe vel inde colligitur, quod eorum avus Eliaſib cum Nehemia florebat, & muri partem inſtaurandam ſuſcepit.* (h)

(h) 2. *Eſd.* 3.

Verum huic expoſitioni tum Chronologia, tum Textus repugnat. Chronologia quidem, nam Parricidium memoratum contigit ex Ioſepho (i) Artaxerxe Ocho regnante. Ochus autem ex Saliano (k) regnare cœpit anno ante Chriſtum 363. ex Petavio autem (l) anno ante Chriſtum 362. quibus ſi addas annos 33. Æræ communis

(i) *Lib.* 11. *Antiq. cap.* 7.
(k) *Ad annum Mundi* 3690.
(l) *In Chronico.*

(quo

(quo anno, juxta Abrahamum, contigit Chriſti Paſſio) fient anni 395. Hos detrahe ab Hebdomadis 70. ideſt ab annis 490. reliqui erunt anni 95., ideſt, hebdomades 13. & inſuper anni 4. Quare, ſi Ieſus a fratre Ionathan, cum primum regnare Ochus cœpit, occiſus ponatur, occiſio hujuſmodi non in finem ſeptimæ, ſed in medium decimæquartæ Hebdomadæ incurret. Verùm demus circa ſeptimæ finem Hebdomadæ parricidium hujuſmodi fuiſſe perpetratum; quæ nam iſthæc illatio eſt, bone Deus! Ieſus a Ionatha fratre occiſus eſt circa finem ſeptimæ Hebdomadæ: Igitur occiſionem Ieſu illa hebdomadarum diviſio ſignificat? Numquid, in diviſione illa, occiſio aliqua fuerat memorata (ut fit in diviſione alia, *Hebdomades* 62. dum dicitur: *Poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus*) ut ex occiſione Ieſu fratris Ionathæ, tamquam ex figura, ad occiſionem Chriſti tamquam figurati duci argumentum poſſet? Porro quid ſibi velit diviſio hujuſmodi diximus cap. 36.

CAPUT

CAPUT TERTIUM

Ejuſdem Auctoris, ſtatuentis Nehemiam, quàm Eſdram priùs in Judæam ex Perſide veniſſe, ſententia reijcitur.

UBi de initio, & fine Hebdomadum, ea, qua diximus, ratione lib. 15. Abrahamus determinavit; in fine libri ejuſdem §.20. Eſdram priùs, quàm Nehemiam in Iudæam veniſſe contendit. Quod ut confirmet duplicem in primis Artaxerxis Longimani Epocham admittit, quarum primam refert, cum Tirino (m) ad annum Xerxis 6. ante Chriſtum 480. quo anno Xerxes celeberrimam illam in Græcos expeditionem ſuſcepit. Per eam enim occaſionem (ex lege Perſarum, quæ juberet regem, priuſquam in expeditionem proficiſceretur, ſibi ſucceſſorem deligere) Artaxerxem a Patre Xerxe regem eſſe compellatum. Utrâque hac Epocha admiſſa, fit annum Xerxis 21. & poſtremum, eſſe Artaxerxis, a priori Epocha, 16. & conſequenter, primum a morte Patris eſſe ab eadem Epocha 17. & 7. eſſe 23. adeoque annum 20. a prima Epocha duobus vel tribus annis priorẽ eſſe anno ab Epocha ſecunda 7. Quare

(m) In Chronic. cap. 38.

Quare ſi annus vigeſimus Artaxerxis (quo anno Nehemiam in Iudæam veniſſe (n) Scriptura commemorat) a prima Epocha; annus verò ejuſdem Artaxerxis ſeptimus (quo anno ex eadem Scriptura (o) venit Eſdras) a ſecunda Epocha computetur, ut ipſe computat; prius Eſdram, quàm Nehemiam veniſſe conſequens erit.

(n) 2. Eſd. 2.

(o) 1. Eſd. 7.

At nos falſitatem hujus duplicis Epochæ ſatis oſtendimus cap. hujus operis 5. & 6. Deinde, utrâque etiam admiſſa Epocha, rogamus, quarè annus Artaxerxis 20. in Nehemia memoratus a priori, annus verò 7. memoratus in Eſdra a poſteriori; & non potius uterque ab eadem, ſive priori, ſive poſteriori Epocha ſit computandus?

Reſpondebit, quia prior Nehemias, quàm Eſdras in Iudæam venit. At hoc non evincitur, ut ſtatim oſtendemus, quæ in contrarium adducuntur, rationes infirmando. Imo verò ex eo, quod Eſdras in Iudæam venerit anno Artaxerxis 7. Nehemias autem anno 20. (nec ulla afferatur ratio probabilis, cur anni hujuſmodi ab Epocha eadem computandi non ſint, ut oſtendimus cap. 8.) potiori jure colligemus nos, prius Eſdram, quam Nehemiam in Iudæam veniſſe. Cui veritati vel ipſe ordo librorum Eſdræ, & Nehemiæ videtur ſuffragari. Quid

Digitized by Google

eſt enim, quod liber Eſdræ primus ponatur, liber vero Nehemiæ ſecundus, niſi quia quæ in primo narrantur prius, quæ narrantur in ſecundo, poſterius contigere?

Ad hæc ille poſterior in Iudæam veniſſe dicendus eſt, qui cum venit, ibidem alterum reperit: ille prior, qui cum venit non reperit alterum. Atqui Scriptura teſtatur, Eſdram anno Artaxerxis 20., cum Nehemias venit, in Iudæa fuiſſe: dicitur enim Nehem. 8. v.2. *Attulit ergo Eſdras Sacerdos legem coram multitudine virorum & mulierum, cunctiſq; qui poterant intelligere, in die prima menſis ſeptimi*. Anno autem 7. cum venit Eſdras, fuiſſe in Iudæa Nehemiam Scriptura non dicit. Eſdram igitur priuſquàm Nehemiam in Iudæam veniſſe dicendum eſt.

Verum age videamus, quibus tandem rationibus ſententiam ſuam hic Auctor confirmet. Prima ſic ſe habet: Nehemias, muro exædificato, cum eorum Catalogum recognoſceret, qui cum Zorobabele, Cyro Imperante, redierant; quæſiſſentque de Sacerdotibus filij Habia ſcripturam in cenſu, & non inveniſſent, ejecti ſunt de Sacerdotio: 2. Eſd. 7. v. 65. *Dixitque Atherſatha*, ideſt, Nehemias, *eis*, *ut non manducarent de Sanctis Sanctorum, donec ſtaret Sacerdos doctus, &* eru-

eruditus, qui ea de re videlicet reſponderet. *Si jam aderat Eſdras*, inquit, *quis eo doctior, & eruditior expectari poterat? Nondum ergo Eſdras, dum hæc agerentur, in Judæam venerat.*

Duplex hìc error, alter in tempore, alter in ſenſu. In tempore error eſt, quòd Artaxerxis Longimani anno 20. id factum affirmat, quod contigit anno Monarchiæ Cyri primo. Nam ea verba, *Dixitque Atherſata eis, ut non manducarent de Sanctis Sanctorum, donec ſtaret Sacerdos doctus & eruditus*, extant 1. Eſd. 2. v. 63. in fine catalogi, in quo recenſentur filij provinciæ aſcendentes de captivitate. Qui quidèm catalogus 2. Eſd. 7. iteratò deſcribitur. Porro annus Monarchiæ Cyri primus eſt ante Chriſtum 538. annus Longimani 20. eſt ante Chriſtum 444. quem numerum ſi ſubtrahas ab annis 538. reliqui erunt anni 94. Eſt igitur annorum 94. Anachroniſmus.

Deinde eſt error in ſenſu, ideſt, in expoſitione illorum verborum: *Donec ſtaret Sacerdos doctus & eruditus*: quæ verba ad Sacerdotem Summum, ſive Pontificem ſunt referenda, ut patet ex Textu Hebraico, qui ſic ſe habet: עד עמד הכהן לאורים ותמים: *had hamod haccohen leurim, vetummim*: *Donec ſtaret Sacerdos cum Urim & Tummim*: Clariùs autem

Italicè, expreſſo articulo ה; *Ha*, *Il*, qui exprimi latinè non poteſt: *Fin tanto che ſtaſſe il Sacerdote* (detto per Antonomaſia, ciò è il Pontefice) *in Pontificale, coll'Urim, e Tummim*. Sive ergo dicamus *Urim*, & *Tummim* nihil aliud fuiſſe, niſi nomen Dei Ineffabile יהוה Rationali inſculptum, ut ex Rabbinis plerique arbitrantur; ſive fuiſſe duodecim gemmas ipſius Rationalis, quæ idcirco dicerentur *Urim*, & *Tummim*, ideſt, *Illuminationes*, & *Perfectiones*: ſive, ut vertit Latinus Interpres, *Doctrina*, *&* *Veritas*, quòd per lapides illos, ſplendore inſueto fulgentes, Deus oracula redderet, ut videtur velle Ioſephus (*p*) Sive dicamus *Urim*, & *Tummim*, ut alijs placet, quos refert, & ſequitur Cornelius a Lapide in cap. 28. Exod. fuiſſe hæc ipſa nomina, Rationali inſcripta, quemadmodum duo hæc קדש ליהוה *Kodeſc Ladonai*: *Sanctum Domino*: tiaræ Pontificis inſcripta fuiſſe dicuntur Exod. 28. v. 36. Quidquid dicamus, certum eſt, Rationale, ad cujus ornamentum pertinebant *Urim*, & *Tummim*, genus veſtis ſacræ fuiſſe, Pontificis proprium, ut colligitur ex cap. 28. Exod. v. 4. Deumque per *Urim*, & *Tummim* interrogatum reſpondere ſolitum fuiſſe: ut ex multis Scripturæ locis deprehenditur, præſertim verò ex lib. 1. Reg. cap. 28. v. 6. ubi ſic

(*p*) *Lib.* 3. *Antiq. cap.* 9.

Digitized by Google

ſic habetur: וישאל שאול ביהוה ולא ענהו יהוה גם בחלמות גם באורים גם בנביאים *Vaiſcal Saul badonai, velo banabu Adonai, gam babbalo-moth, gam baurim, gam banneuijm: Et interrogavit Saul Dominum, & non reſpondit ei Dominus neque per ſomnia, neque per Urim, neque per Prophetas*. Ubi tres modi, quibus ſoleret Deus reſpondere interrogantibus, inſinuantur. Cum ergo Eſdras, quantumvis Sacerdos doctus, & eruditus fuerit, Pontifex certè non fuerit; ea verba, *Donec ſtaret Sacerdos doctus, & eruditus* (etiam ſi non repugnaret Chronologia) ad Eſdram referri non poſſe ~~compertum eſt~~.

Rationem alteram ducit ex illis verbis 1.Eſd.6.v.14. *Ædificaverunt, & conſtruxerunt jubente Deo Iſrael, & jubente Cyro, & Dario, & Artaxerxe regibus Perſarum*. Poſt quæ verba, paucis interjectis, capite ſequenti ſubijcitur: *Poſt hæc autem verba, in regno Artaxerxis regis Perſarum, ipſe Eſdras aſcendit de Babylone*: Quid autem ſub Artaxerxe conſtruxerint, inquit, niſi muros, ne ſomniari quidem poteſt. Eſdras ergo venit, cum muri jam eſſe conſtructi a Nehemia, adeoq; venit poſt Nehemiam.

Ad hoc reſpondemus cum Saliano (q) (q) *Ad an. M.*3536.*n.*8.
Sacrum Hiſtoricum, dum ait; *Ædificaverunt, & conſtruxerunt &c.* conjeciſſe in unum locum

locum omnes principes Perſarum, qui res Judaicas promoverunt à ſoluta captivitate. Et ſi enim nunc ſolus Darius Iudæis favebat; Cyrus tamen per repetitionem, Artaxerxes per occupationem (ſive anticipationem) recenſentur.

Simile eſt argumentum quod addit paulo infra, dum refert verba, quæ habentur 1. Eſd. 9. v. 9. *In ſervitute noſtra non dereliquit nos Deus noſter, ſed inclinavit ſuper nos miſericordiam coram rege Perſarum, ut daret nobis vitam, & ſublimaret domum Dei noſtri, & extrueret ſolitudines ejus, & daret nobis ſepem in Juda, & Jeruſalem.* Sepis enim nomine murum, a Nehemia ædificatum, intelligit. Unde rurſus colligit, prius Nehemiam, quàm Eſdram in Judæam veniſſe.

Sed huic nos argumento abunde reſpondimus cap. 29. pag. 90. ubi oſtendimus, muros Ieruſalem, ante Nehemiæ adventum, inſtauratos quoquomodo a Iudæis fuiſſe, ex cap. 1. Nehemiæ v. 3. ſatis evinci. Id quod rurſus poteſt confirmari ex 1. Eſdræ cap. 4. v. 12. ubi hoſtes Iudæorum in epiſtola, quam ſcribunt ad Artaxerxem, ideſt, Cambyſem Cyri filium, ut vulgò fertur, ita loquentes inducuntur: *Notum ſit regi, quia Judæi, qui aſcenderunt a te ad nos, venerunt in Jeruſalem, civitatem rebellem & peſſimam, quam*

quam ædificant extruentes muros ejus,& parietes componentes. Maneat ergo fixum, atque inconcuſſum, Eſdram prius in Iudæam veniſſe, quàm Nhemiam.

Recapitulatio.

EX dictis igitur quibus in rebus ſive cum Abrahamo ſentiamus, ſive ab eo diſcrepemus eſt manifeſtum. In eo conſentimus, quod initium Hebdomadum ab anno Artaxerxis 7. atque ab ejus Decreto in favorem Iudæorum lato, derivat. Rurſus in eo, quod duplicem hujus verbi *Ædifico* ſignificationem,Hebræis uſitatam,ex ſcripturis colligit; atque hinc duplex ſimiliter ædificium Ieruſalem, ſemel pro *Urbe*, ſemel pro *Civitate* acceptæ, ex notione utriuſque, diſtinguendum ſtatuit. In eo diſcrepamus. Primò, quòd ipſe a regibus Perſarum quatuor lata in favorem Iudæorum Decreta ponit, nos tria tantum. Deinde,quòd per comparationem ad ædificium Ieruſalem a Cyro factum, Ieruſalem ab Artaxerxe *iterum ædificatam* dicit; nos verò per comparationem ad ædificium factum a primis Conditoribus. Tertiò quòd ait ijs verbis: *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem*, iteratam populi

puli reductionem ſignificari. Quartò quòd triplex initium, & triplicem ſimiliter Hebdomadum finem admittit. Quintò diſcrepamus in expoſitione illorum verborum: *In dimidio hebdomadæ deficiet hoſtia, & ſacrificium*. Sextò in exponenda prima Hebdomadum ſectione, ideſt, *Hebdomades ſeptem*. Septimò denique in eo, quòd aſſerit Nehemiam priùs, quàm Eſdram in Judæam veniſſe.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

oogle